SCHOLICA HYPOMNEMATA.

SCHOLICA HYPOMNEMATA.

SCRIPSIT

IOH. BAKIUS.

— αἰσχρὸν σιωπᾶν —.

Vol. III.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD S. ET I. LUCHTMANSIOS.

CIƆIƆCCCXLIV.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

HOC VOLUMINE CONTINENTUR:

(*) Errore quartae §i indicium neglectum est.

CAROLO FRIEDERICO HERMANNO

S. P. D.

IOH. BAKIUS.

Magna cum voluptate, Hermanne, vir celeberrime, legi et relegi disputationem tuam de Proedris apud Athenienses. Quem librum quum mihi dono mitteres, itaque cumulus adderetur pluribus eiusdem generis beneficiis quibus dudum me tibi devinctum tenebas, hunc flagitatorem esse existimavi, quantumvis modestum ac lenem, eius quod tibi a me deberetur. Quamquam fieri potest ut tu non memineris; sed tamen ego, quoniam debitorem oportet esse memorem, recte teneo promisisse me tibi diligentiorem explicationem sententiae meae de loco quodam difficili in Demosthenis Midiana, de quo neque coram

quum ageremus conveniebat inter nos, neque aliquanto post, quum humanissime responderes literis iis, quibus breviter rationes meas expromseram. Nunc autem video facilius esse hanc fidem exsolvere, quam ita facere, ut accipere operae pretium tibi esse videatur: quippe vereor committere ut diligentiam meam fortasse et officium laudes, sed requiras ingenium ac prudentiam, sine quibus quum nulla pars nostrarum literarum, tum minime omnium gravissimus maximeque impeditus locus Atticorum institutorum ac legum rite tractari potest. Sed si me tum ipsius argumenti obscuritas, tum tuae doctrinae praestantia deterret quo minus, ad te praesertim scribens, vires meas pericliter in simili quaestione enucleanda, animos tamen addit haec cogitatio, prorsus idem esse tuum iudicium de via et ratione quam servari in huius generis disputatione oporteat, quod mihi probari solet. Animadverti enim tria esse quasi praesidia quibus nitatur omnis rerum Atticarum prudenter investigandarum laus, primum ut ad severam et grammaticam interpretationem exigantur testimonia veterum monu-

mentorum, tum ut horum ipsorum delectus instituatur, postremo ut analogia, quam appellamus, observetur, sicubi diserta auctoritas desit, aut in ancipiti traditione haereamus. In his quod severam interpretationem numero, videbor fortasse putide facere, requirens id, quod nemo sanus umquam negligendum putavit. Et est sane hoc eiusmodi, non tam ut efferatur qui attulerit, quam ut contemnatur qui careat. Sed vix tamen dici potest quam saepe quam multique errores in hac disciplinae nostrae parte propagentur vel ex nulla, vel ex perversa interpretatione; qui ubi subinde arguendi sunt, circumspicienda etiam summa orationis modestia est, ne docere doctos, nec triumphare de alienis vitiis videare. Reliqua duo ne ipsa quidem sunt tam recondita aut arcana, quin de ipso instituto et praecepto conveniat inter omnes. Verumtamen quotusquisque est qui non aliquando constringi se patiatur pusilla scholiastarum, grammaticorum, lexicographorum auctoritate, aut rhetorum et historicorum, qui aliquot seculis post florentes Athenas scripserunt, fidem opponat adeo ipsis

oratorum voluminibus? Quod si haud mediocris prudentiae est in his modum servare, singulaque sententiae conficiendae tamquam elementa recte explorare ac ponderare, maius etiam est id, quod postremum posui, quoniam continetur coniectura. Sed coniecturam intelligo non vagam illam et lubricam, quamquam saepe et necessariam et probabilem, sed quae in divinandi nonnumquam vel felicitate vel temeritate consistat; verum eam ratiocinandi viam, qua ex rebus cognitis ad ea, quae incognita sunt, perducamur. Quamquam enim et multa sane et illustria sunt, de quibus nobis constat ex disertis gravissimorum auctorum testimoniis, manca tamen sit multis partibus necesse est rerum Atticarum cognitio si intra istam fidem contineatur. Quare, singulis cognitis, opera danda est ut totius disciplinae quum publicae, tum privatae ingenium perspiciamus, et ad hanc normam exigamus ea, quorum vel obscura, vel fluctuans traditio servata sit.

Nihil horum te latere solet, neque Boeckhium, praeclarum horum studiorum conditorem, neque paucos alios qui eius exemplum

secuti sunt. Et tamen, nisi eamdem viam secuti, tamquam si nihil dum actum esset, omnia denuo contrectemus, perpendamus, excutiamus, metuendum est ne in multis specie delectemur, verum ipsum non agnoscamus, populique unius omnium ingeniosissimi mores ac placita ignoremus. In quo studio si quando nobis discedendum est a doctissimorum virorum sententia, qui nostra demum aetate gravissimos huius disciplinae locos excellentibus doctrinae et ingenii bonis explicuerunt, non cavillandi causa, nec stulta superbia, quae nusquam ferenda est, fieri sentient ipsi, sed tamquam si in communi deliberatione sententia dicatur, et a me quidem ita, ut simul eosdem auctores mihi fuisse ac duces verae rationis interpretandi et iudicandi profitear.

Haec autem, quae nunc expromere in animo est, tanto minus intempestiva tibi videri spero, quod ipse nuper in illustri Academia Georgia Augusta Midianam interpretatus es: quas scholas si audire potuissem, dubitationes fortasse meas nonnullas deponere didicissem, quae nunc etiam fieri potest ut inanes tibi videantur. Nec-

dum prodiit Meieri V. Cl. Commentarius: recentissimasque editiones orationum Demosthenis, Sauppii alteram, alteram Voemelii, nondum vidi. Si quid igitur sit quod alii melius demonstraverint, hi non neglectos se a me, sed ignoratos existiment, nec quicquam me libentius facturum, quam cognitis melioribus mea deserere et abiicere.

Iam, qua de re inter nos ageretur revocabo tibi in memoriam, servaboque morem meum, ut commodo tuo serviam, ipsosque integros scriptorum locos apponam. In Midiana p. 529. R. haec apponitur lex: *ἐάν τις ὑβρίζῃ εἴς τινα ἢ παῖδα ἢ γυναῖκα ἢ ἄνδρα τῶν ἐλευθέρων ἢ τῶν δούλων, ἢ παράνομόν τι ποιήσῃ εἰς τούτων τινά, γραφέσθω πρὸς τοὺς Θεσμοθέτας ὁ βουλόμενος Ἀθηναίων, οἷς ἔξεστιν· οἱ δὲ Θεσμοθέται εἰσαγόντων εἰς τὴν Ἡλιαίαν τριάκοντα ἡμερῶν, ἀφ᾽ ἧς ἂν ἡ γραφὴ, ἐὰν μή τι δημόσιον κωλύῃ· εἰ δὲ μὴ, ὅταν ᾖ πρῶτον οἷόν τε. ὅτου δ᾽ ἂν καταγνῶτε ἡ Ἡλιαία τιμάτω περὶ αὐτοῦ παραχρῆμα, ὅτου ἂν δοκῇ ἄξιος εἶναι παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι. ὅσοι δ᾽ ἂν γρά-*

φωνται γραφὰς ἰδίας κατὰ τὸν νόμον, ἐάν τις μὴ ἐπεξέλθῃ ἢ ἐπεξιὼν μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων, ἀποτισάτω χιλίας δραχμὰς τῷ δημοσίῳ. ἐὰν δὲ ἀργυρίου τιμηθῇ τῆς ὕβρεως, δεδέσθω, ἐὰν ἐλεύθερον ὑβρίσῃ, μέχρι ἂν ἐκτίσῃ.

Non attingam nunc eam quaestionem, quam tu in principio disputationis de Proedris prudenter sane mihi solvisse videris, de legibus aliisque actis publicis, quae nunc oratorum actionibus interposita legimus, utrum vera an ficta sint. De quo tamen genere quamquam universe pronuncias pleraque e spectatae fidei fontibus derivata esse, concedis nihilo minus fieri posse, ut nonnulla ex ingenio ficta, aut ita suppleta sint, ut vera falsis permixta dignosci amplius non possint. Nimirum, quin postea pleraque a grammaticis inserta sint, vix dubitare sinit haec consideratio, duplex esse codicum manuscriptorum genus, quorum alteri habere solent, alteri perpetuo omittunt ea, de quibus quaerimus, quamquam nulla alia parte truncati, sicut Augustanus; in eodemque numero fuisse videtur liber, quo Ulpianus usus

est, non tam quod, in Midiana quidem, (de aliis nunc non memini), nullum locum neque vocabulum ex illis documentis illustrat, sed etiam p. 550. init. R. ad illa verba, *λαβὲ δή μοι καὶ τὸν περὶ τῶν δώρων νόμον*, huius legis sententiam breviter commemorat, quae paulo post suo loco nunc inserta exstat p. 551. fin.: rursus ad verba *κάλει μοι τούτων τοὺς μάρτυρας*, p. 554, ipsius testimonii, quod planissimum est, sententiam brevi exponit, idemque facit ad p. 568. fin. Contra Harpocration altero genere codicum usus esse videtur, qui ex Demosthene excitat vocab. *ποδοκάκκης*, quod est in lege Timocrat. p. 733. Quicquid sit, ne hoc quidem negabis, si inserta talia postea ab aliis sint, fieri potuisse ut ipsa interpolarentur, aut etiam truncarentur. Atque utroque vitio laborare mihi videbatur illa lex, quam modo apposui ex Meieri recensione: sed praecipue demonstrandum mihi est de interpolatione.

Suspicor enim, ut paucis ab initio sententiam aperiam, verba *ὅσοι δ' ἂν γράφωνται* usque ad *δραχμὰς τῷ δημοσίῳ*, non esse

huius legis. Huius suspicionis (quam non facile quis repudiaturus est hoc uno argumento, nullam in eiusmodi loco interpolationem cogitari posse) argumenta duplicis generis sunt, petita quippe tum ex forma et continuatione totius legis, tum ex ipsis iis, quae interpolata esse iudico.

I. Nihil est in reliquis legis partibus in quo quis offendat, aut quod discedat a solemni formula legum, qualem tenemus e compluribus apud Demosthenem exemplis. Notatur primum delictum nomine; tum actio, quae detur, significatur, et apud quem, et a quo instituenda sit; dein magistratuum officium describitur, deque duplici in tribunali suffragii latione, postremo de poenae genere quo aestimari delictum possit. Quod autem his postremis interponitur generalis quaedam sanctio poenalis in eos, qui certo quodam genere actionis instituto eamdem non persequerentur, aut persecuti quintam partem suffragiorum non tulissent, hoc non ferendum est propterea, quod nec ad praesentem rem pertinet, et interrumpit quum sententiae, tum verborum continuationem sol-

lemnem. Sensisse hoc post animadverti Meierum Lit. Att. III. p. 322, qui ex hac lege et simili apud Aeschinem Timarch. p. 41. sq. unam componere studens, (in quo frustra eum laborare mox ostendam), locum illum, quem ego interpolationi deberi puto, in clausulam reiicit: nec tamen veram huius rei rationem aperit. Exempla, quibus probari possit non interrupta formula legis, haec sunt. Timocrat. p. 720. fin. — *ἐὰν δ' ἁλῷ, τιμάτω ἡ Ἡλιαία περὶ αὐτοῦ, ὅ τι ἂν δοκῇ ἄξιος εἶναι παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι· ἐὰν δ' ἀργυρίου τιμηθῇ, δεδέσθω τέως, ἕως ἂν ἐκτίσῃ ὅ τι ἂν αὐτοῦ καταγνωσθῇ.* Ibid. p. 733. 14. — *ἐὰν δὲ ἁλῷ, τιμάτω ἡ Ἡλιαία, ὅ τι χρὴ παθεῖν αὐτὸν ἢ ἀποτῖσαι. ἐὰν δ' ἀργυρίου τιμηθῇ, δεδέσθω τέως, ἕως ἂν ἐκτίσῃ.* Conf. Contr. Neaer. p. 1350. 20. Fateor haec ipsa exempla legum esse, quas, ut credibile est, non orator ipse adscripserit, sed postea inseruerit Alexandrinorum grammaticorum diligentia: sed non tantum formae constantia, verum ratio quoque ipsa hanc simplicem et perspicuam praecipiendi consuetudinem

servatam ab Atheniensibus fuisse suadet. Quid praeterea opus erat istud de *χιλίων* mulcta huius criminis legi addi? Una lege hoc in omnibus publicis actionibus (*γραφαῖς*) constitutum erat, quae describitur in Theocrin. p. 1323. med. *ὁ νόμος οὗτος τοῖς προαιρουμένοις ἢ γράφεσθαι γραφὰς ἢ φαίνειν ἢ ἄλλο τι ποιεῖν τῶν ἐν τῷ νόμῳ τούτῳ γεγραμμένων προλέγει διαῤῥήδην, ἐφ' οἷς ἕκαςόν ἐστι τούτων ποιητέον· ἔστι δὲ ταῦτα, ὥσπερ ἠκούσατ' ἐξ αὐτοῦ τοῦ νόμου, ἐὰν ἐπεξιὼν τις μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων, χιλίας ἀποτίνειν, κἂν μὴ ἐπεξίῃ, χιλίας ἑτέρας.* Itaque ex hac lege eadem sanctione tenetur *γραφὴ ἑταιρήσεως* (Androtion. p. 599. fin.), tum furti sive *ἀπαγωγὴ*, sive *ἐφήγησις*, sive *γραφὴ*, (ibid. p. 601. 23.), eademque intelligenda in *γραφῇ λιποταξίου* (Mid. p. 548. init.), et in *ἀσεβείας γραφῇ* (Eubulid. p. 1301. 15): neque propter alium Theocrineae locum p. 1325, 15 oportebat Schoemannum (Comitt. p. 176. not. 12) dubitare, utrum, praeter *φάσιν*, in reliquis quoque publicis actionibus idem valeret;

quibus in omnibus coercenda erat tum sycophantia, tum publicae salutis negligentia. Meliora docuerat iam Boeckhius Oecon. Civ. Athen. I. p. 406. sqq., quique ab eo non negligitur, Hudtwalckerus. Itaque, quemadmodum in publicis causis hae χιλίων mulctae, sic in privatis generali item lege constituta erat ἐπωβελία, de qua alio loco egi. Nihil igitur attinebat idem in singulorum criminum legibus admoneri. Concedi poterat hoc in προβολῆς mentione, sicut in lege Mid. p. 518. init., unde conficiendum singularibus in delictis istas προβολὰς fuisse concessas; quippe haec erat extraordinaria iudicii instituendi ratio, minime cum reliquis delictis communicata.

Praeterea hoc quoque offendit, quod ista, ὅσοι δ' ἂν γράφωνται — necessario tamquam per oppositionem dicta intelligenda sunt, tamquam si diversa esset harum actionum norma et ratio ab iis, quas in reliqua lege indicari videmus: quod quo modo quis probare poterit? Sin vere diversum fuit genus actionis, de quo in his verbis loquitur lex (id, de quo mox videbo), quid attinebat ipsius iudicii et poenae

descriptionem, quae tamen sine dubio utriusque generis fuerit communis, istiusmodi generali sanctione interrumpere? Et interrumpi visam esse iam antiquitus legis formulam simplicem et continuam, apparet ex interpolato vocabulo τῆς ὕβρεως, post ἀργυρίου τιμηθῇ, ut scilicet admoneremur haec postrema non ad proxime antecedentia, sed ad superiora et ad ipsam legem pertinere.

II. Quae in ipso παρεμβλήματι offensioni mihi sunt, maxime continentur appellatione τῶν ἰδίων γραφῶν, quam adversari suspicor iudiciorum Atticorum rationi. Hanc autem rationem, quoniam nusquam explicitam deprehendimus apud eos, qui illorum temporum aequales fuerunt, et quoniam, quae a grammaticis traduntur, severe potius in ordinem cogenda, quam temere sequenda sunt; nihil restat nisi ut ex universis Atheniensium institutis, et ex constanti verborum usu conficiamus, quid in hoc genere accipiendum, quid reiiciendum sit.

Nempe tralatitium hoc est, iam inde ab Heraldo Animadv. in J. Att. et Rom. p. 135. b,

γραφὰς duplicis generis fuisse, appellatasque vel *δημοσίας*, vel *ἰδίας*, et postremo nomine appellari solitas eas actiones, quibus quis ipse laesus iniuriam persequeretur quae proprie ipsum attingeret, improprie autem civitatem. Secutus est idem placitum Meierus Lit. Att. p. 163, monens tamen raro exstare appellationem *ἰδίων γραφῶν·* (nempe nusquam, excepto hoc uno loco Midianae, deprehenditur.) Heraldi interpretationem probare videtur Boeckh. Oecon. Civ. Ath. I. p. 401. not. 260. fin.: quamquam, quid intersit inter Heraldi rationem, qua *γραφὴ ὕβρεως ἰδία* in Midiana appellari dicitur, et eam, qua ipse Boeckhius et hanc ipsam locutionem, et *δίκην ὕβρεως ἰδίαν* in aliis Midianae locis interpretatur, non me intelligere fateor. Aliquanto prudentius tamen hic totum hoc intra *ὕβρεως* actionem continet; Meierus contra ita disputat, quasi in omni criminum genere valeret, ut *γραφαὶ*, ex illo quod fingeret discrimine, modo *ἴδιαι*, modo *δημόσιαι* et essent et dicerentur; et abutitur loco Timocrateae p. 701. 21, ubi, quod dicit orator, *νῦν ἐν ἀγῶσι καὶ γρα-*

φαῖς δημοσίαις ἐξετάζομαι, ex oratoria oppositione vitae modestae dicitur, tantoque minus de subtili ista distinctione nunc cogitandum erat, quod Diodorus hac actione privatum maxime odium persequebatur.

Omnino nusquam Demosthenes, aut quisquam oratorum, accurate huius rei disciplinam tradit de his, quid ἴδιον, quid δημόσιον sit. Legimus quidem in Oratione Adv. Polyclem p. 1206. init. οὐ γὰρ ἐμὸς καὶ Πολυκλέους ἴδιός ἐστιν ὁ ἀγὼν μόνον (fort. l. μόνων), ἀλλὰ καὶ τῆς πόλεως κοινός. ὧν γὰρ τὰ μὲν ἐγκλήματα ἴδιά ἐστιν, αἱ δὲ βλάβαι κοιναὶ, πῶς οὐχ ὑπὲρ τούτων εἰκός ἐστιν ἀκούσαντας ὑμᾶς ὀρθῶς διαγνῶναι. Et tamen recte haec causa repetendi epitrierarchematis in privatis causis numeratur, nec nisi oratoria haec admonitio erat. Exstitisse nihilo minus discrimen, ita ut δίκαι universe vel ἴδιαι, vel δημόσιαι essent, conficitur quum ex aliis locis, tum ex Timocrat. p. 717. 21. 718. 14 (ubi adverbiis substituenda sunt adiectiva) tum p. 736. 11. publicis furti actionibus opponitur ἰδία δίκη κλοπῆς. conf. Contr.

Stephan. II. p. 1137. 6: quibus in rebus etiam discrimen cernatur, quum eiusdem ἐγκλήματος tum ἰδίᾳ, tum δημοσίᾳ actio usurpari posset, discimus ex illustri loco Androt. p. 601. fin. Sed ne alia repetam, quae tibi, vir celeberrime, putida videantur necesse est, operae pretium magis est quaerere de iisdem illis Midianae locis, quos Boeckhius l. c. usurpavit, ubi contendit et γραφὴν ὕβρεως nonnumquam fuisse privatam, et appellari ab oratore modo δίκην ἰδίαν, modo γραφὴν ἰδίαν. Veluti p. 522. 26 proponit orator iudicibus qua defensione usurus esset Midias: ὡς — δίκας ἰδίας μοι προσῆκεν αὐτῷ λαχεῖν, τῶν μὲν ἱματίων καὶ τῶν χρυσῶν στεφάνων τῆς διαφθορᾶς καὶ τῆς περὶ τὸν χορὸν πάσης ἐπηρείας βλάβης, ὧν δ' εἰς τὸ σῶμα ὑβρίσθαι φημὶ ὕβρεως, οὐ μὰ Δί' οὐχὶ δημοσίᾳ κρίνειν αὐτὸν καὶ τίμημα ἐπάγειν, ὅ τι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι. Non expedivit hoc Meierus l. c. (quem miror in not. 8. Sopatri uti auctoritate), neque Heffterus attigit p. 175. not. 3. Tu, vir celeberrime, quum sentires ὕβρεως actionem perperam δί-

κην ἰδίαν appellari, in literis ad me datis suspicari te dicebas vocab. ὕβρεως, per librarii cuiusdam socordiam, propter antecedens ὑβρίσθαι, invectum esse pro eo, quod Demosthenes scripsisset αἰκίας Mihi, pace tua dicam, alio modo occurrendum videtur illis dubitationibus: nam ipsum ὕβρεως vocabulum requiri adeo mihi videtur propter verbum ὑβρίσθαι. Neque enim hoc praescribere volebat Midias Demostheni, quo genere actionis, sed quo crimine convenire se oporteret; omnino certo, propter singula delicta, crimine eum uti debuisse, tum βλάβης, tum ὕβρεως· utrum haec iudicia publica an privata essent, neque curabat, neque postulare poterat: sed δίκας λαχεῖν quum dicit, universe significat *actiones in iudicio instituere*, tam privatas quam publicas, quaeque essent ἴδιαι, i. e. propriae singulae singulorum criminum: neque enim ὕβρεως accusare licebat ἐπὶ τῆς τῶν ἱματίων διαφθορᾶς, neque βλάβης, ἐπὶ τῶν εἰς τὸ σῶμα ὑβρισμένων. Tum non opponit ista ταῖς γραφαῖς, quasi ista ὕβρεως non ipsa quoque esset γραφὴ, sed προβο-

λαῖς, quarum indoles non tantum a rivatis, sed a publicis etiam iudiciis (γραφαῖς) multum distabat. Itaque, ubi paulo post orator προβάλλεσθαι et δικάζεσθαι inter se opponit, hoc postremum verbum tam ad γραφὰς, quam ad δίκας proprie dictas refert. Et, ut in sequentibus diligentia sermonis sibi constet, in contraria, quam fingit, Midiae obiectione, legendum est (p. 523. 6) προβάλλεσθαί με ἔδει, οὐ (non καὶ) παρ' αὐτὰ τἀδικήματα τὴν τιμωρίαν ποιεῖσθαι. Omnino non puto ullo exemplo ostendi posse δικῶν ἰδίων appellationem ad privata, exclusis γραφαῖς, iudicia restringi, nisi ubi fiat in oppositione alterius generis.

Haec si tibi probantur, vir celeberrime, persuasumque tibi est ex illo certe loco demonstrari non posse ὕβρεως fuisse actionem privatam, pergamus, si placet, ad reliqua. Nam statim occurrunt haec, p. 523. 17, ὅτι καὶ δίκας ἰδίας δίδωσιν ὁ νόμος μοι καὶ γραφὴν ὕβρεως: manifesto indicio, etiam si illa mea interpretatio non probaretur (quam non plane assecutus est, illum locum tractans,

Meierus. l. c. p. 173. sq.) intellexisse tamen oratorem γραφὴν, quum nudum ὕβρεως poneret. Sed rursus novam offendimus oppositionem in his, p. 523. 22: εἰ δ'ἐγὼ τὴν ἐπὶ τῶν ἰδίων πλεονεξίαν ἀφεὶς τῇ πόλει παραχωρῶ τῆς τιμωρίας, καὶ τοῦτον εἰλόμην τὸν ἀγῶνα, ἀφ' οὗ μηδὲν ἔστι λῆμμα λαβεῖν ἐμοί—. Sed minime necesse est in his ἰδίαις δίκαις intelligere ὕβρεως quoque actionem, quae ipsa, ut aliunde constat, erat τιμητός, poenaque non actori, sed civitati debebatur: sed certe neglexerat orator βλάβης δίκην, cuius poenam ipse sibi petere potuisset. Rursus p. 524. 21, qui, inquit, privatum aliquem ὑβρίσῃ ἢ κακῶς εἴπῃ, γραφὴν ὕβρεως καὶ δίκην κακηγορίας ἰδίαν φεύξεται. Non intercedo quin ἰδίαν, ex codicibus additum, servetur, quamquam, si ab nonnullis abest, interpolatum videri potest: sed nollem Boeckhio placuisset hoc adiectivum cum γραφὴν ὕβρ. quoque coniungere, nec puto, si hoc voluisset orator, hoc ordine verborum istud enunciandum fuisse: contra videor mihi, ex sermonis Graeci consuetudine, defendere

posse, istud *ἰδίαν*, sic collocatum, in oppositione dici, ut *γραφὴ* necessario ex altero genere, nempe *δημοσία*, intelligatur fuisse: et hoc intererat inter illas actiones, et crimen violati magistratus, quod illae erant *τιμητοὶ*, v. c. pecuniae mulcta, haec actio *ἀτίμητος*, quam infamia sanciret ipsa lex: itaque, quod paulo post dicitur, *ἰδίᾳ ὑπόδικος*, et *ἰδίᾳ δίκην διδόναι*, non explicandum inde est, quod *ἰδία δίκη* instituitur, quae opponatur *γραφῇ*, sed inde, quod tum ulciscendi et consilium et modum actori concedit lex, in altero autem genere ipsa civitas suas iniurias sola persequitur. Sed nusquam magis perspicue enunciat orator quid de *ὕβρεως* actionibus universe statuendum sit, quam p. 528. 26: *διόπερ καὶ τῆς ὕβρεως αὐτῆς τὰς μὲν γραφὰς ἔδωκεν (ὁ νόμος) ἅπαντι τῷ βουλομένῳ, τὸ δὲ τίμημα ἐποίησεν ὅλον δημόσιον.*

Frustra hucusque circumspicio quae causa aut ratio esse possit distinguendae duplicis *ὕβρεως* actionis, quarum alteram *ἰδίαν*, alteram *δημοσίαν* esse contendunt viri docti. Con-

cedo hanc actionem vel ab ipso, qui laesus esset, vel ab alio quocumque institui potuisse; nec tamen propterea diversa est ipsius actionis indoles; et quoniam (ut p. 528. fin. dicitur) *δίκη ἱκανὴ ἡ τιμωρία ἦν τῷ παθόντι, τὸ δὲ τίμημα ὅλον δημόσιον*, cuius definitio penes iudices esset, propterea ulciscendi meram libidinem coercendam putaverunt mulcta constituta in eum, qui aut institutam *γραφὴν* non persequeretur, aut in ipso iudicio quintam partem suffragiorum non tulisset. Itaque nihil erat, quod idem, tam intempestive praesertim, in *ὕβρεως νόμῳ*, de certo quodam genere accusatorum praeciperetur.

Nec tamen premenda est alia dubitatio, de loco, quem modo iam explorabam, p. 523. 1. *ὧν δ' εἰς τὸ σῶμα ὑβρίσθαι φημί, ὕβρεως, οὐ μὰ Δί' οὐχὶ δημοσίᾳ κρίνειν αὐτὸν καὶ τίμημα ἐπάγειν ὅ τι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι.* Ita enim proponitur *ὕβρεως γραφή*, quasi per eam nullum ab actore fieret *τίμημα*· id quod repugnat constanti harum *γραφῶν* disciplinae ac normae. Neque haec difficultas latuit viros doctos, quam tamen, ut mihi videtur,

non felicissime solvit Boeckhius De Tempor. Midian. p. 66. Quid enim queri poterat Midias, si nunc istud *τίμημα ἐπάγοι* Demosthenes, quum idem ei licuisset in *ὕβρεως γραφῇ;* Facillimo autem negotio liberare licebit stultitiae crimine accuratissimi scriptoris orationem, si transponuntur verba in hunc modum, — *ὕβρεως καὶ τίμημα ἐπάγειν ὅ τι χρὴ π. ἢ ἀποτ., οὐ μὰ Δί᾽. οὐχὶ δημοσ. κρ. αὐτόν.* Si quaeris, vir celeberrime, quid sit, quo istud *δημοσίᾳ κρίνεσθαι* gravius esset Midiae, quam *τίμημα ὅ τι χρὴ π. ἢ ἀποτ.* quod iam cum *ὕβρεως γραφῇ* coniunctum esset, respondeo in hac *γραφῇ*, etiamsi publica esset actio, itaque civitatis quoque nomine poena exigenda esset, tamen in ea definienda ipsius, qui laesus esset, iniuriam et molestiam vindicari solitam fuisse, quod poenae exemplum ad reliquorum libidinem ac proterviam compescendam pertinere crederetur: quamquam (quo ipso iam istud *τίμημα* fuisse in *ὕβρεως γραφῇ* demonstratur) mortis etiam damnare *τοὺς ὑβρίζειν δόξαντας* tribunali licebat, contra quam in *αἰ-*

κίας δίκη. conf. Lysiae fragm. 31. Foertsch. Fuitne ab hoc igitur diversum id, quod orator dicit δημοσίᾳ κρίνειν? Sane fuit. Nam, quamquam ipsae γραφαὶ in genere et erant et habebantur δημόσιαι, tamen non civitas ipsa, sed privatus laesus putabatur, sed iniuriam vindicari interesse civitatis, ideoque τῷ βουλομένῳ dabatur actio. Contra, δημοσίᾳ κρίνειν non continebatur ordinario actionum genere, sed tum dicebatur, si nomine civitatis, quod contra legem commissum esset, aut etiam quod nulla lege sancitum esset, extraordinaria actione petebatur. Hinc, quum Archippum nefarie a Tiside violatum animadvertissent multi, poterat sane, qui vellet, aut αἰκίας δίκην, aut γραφὴν ὕβρεως instituere, sed multo graviorem optantes vindictam κατηγόρουν τῆς πόλεως, ὅτι οὐ δημοσίᾳ οὐδὲ παραχρῆμα τοὺς τὰ τοιαῦτα ἐξαμαρτάνοντας τιμωρεῖται· Lysias fragm. 50. fin. In Isaeo Nicostr. hered. § 28, vereor ut recte interpretetur Schoemannus eamdem locutionem, qui δημοσίᾳ ἀποκτείνειν de iis dici putat, »qui populi vel iudicum sententia ad extre-

»mum supplicium damnati sunt.” Valeat hoc in δημοσίᾳ τελευτᾶν (Aeschin. F. L. p. 265) et τεθνάναι (Demosth. Contr. Stephan. I. p. 1126. 7. Xenoph. M. S. IV; 8, 2) quoniam supplicium ita universe morti vel naturali vel voluntariae opponitur; sed, quum de tribunalis sententia absolute usurpari ἀποκτείνειν soleat, δημοσίᾳ quum adiicitur, significatur illud iudiciorum genus, quod vere civitatis nomine, publice, instituitur: eoque pertinebat illa Undecimvirorum damnatio, de qua loquitur Isaeus. Cuius rei historia obscura mihi est, certe non praesens memoria: sed suspicor istos ex simili psephismate periisse, quale fuit illud Callixeni, de praetoribus apud Arginusas, certe non ex γραφῇ. Hinc iudiciorum non duo, sed tria genera memorat Lysias Mantith. p. 577: οὔτε δίκην αἰσχρὰν, οὔτε γραφὴν, οὔτε εἰσαγγελίαν. Nec, si unum tantum genus publicarum actionum esset, dixisset Demosthenes Adv. Macart. de Nom. p. 998. med. γραφαὶ, φάσεις, ἐνδείξεις, ἀπαγωγαί: quamquam harum certae leges erant, nec multum forma inter se dista-

bant. Sed certe Pro Coron. p. 310. 5. γραφαὶ, εὐθῦναι, εἰσαγγελίαι, distinguendae erant. Et notabilis locus est Pro Phorm. p. 960. 26, quum Apollodoro obiicit: τίς οὐκ οἶδεν, ὅσα πράγματα πράττων οὐ πέπαυσαι, οὐ μόνον ἰδίας δίκας διώκων οὐκ ἐλάττους ταυτησὶ, ἀλλὰ καὶ δημοσίᾳ συκοφαντῶν καὶ κρίνων τινάς; οὐχὶ Τιμομάχου κατηγόρεις; οὐχὶ Καλλίππου τοῦ νῦν ὄντος ἐν Σικελίᾳ; οὐ πάλιν Μένωνος; οὐκ Αὐτοκλέους; οὐ Τιμοθέου; οὐκ ἄλλων πολλῶν; καίτοι πῶς ἔχει λόγον, σὲ, Ἀπολλόδωρον ὄντα, πρότερον τῶν κοινῶν, ὧν μέρος ἠδικοῦ, δίκην ἀξιοῦν λαμβάνειν, ἢ τῶν ἰδίων, ὧν νῦν ἐγκαλεῖς. In his, δημοσίᾳ κρίνειν non refertur ad γραφὰς, sed ad εὐθύνας, aut etiam ad illa iudicia quae a προβολῇ initium ducebant, quantum quidem coniicere licet ex reorum nominibus; qui omnes in militari imperio fuerunt; quorum de Timotheo nonnulla disputavi hoc ipso IIItio volumine Schol. Hypomn. p. 94. sqq. Rursus tria genera constituit Contra Stephan. II. p. 1131, 21: μαρτυρεῖν γάρ οἱ νόμοι

οὐκ ἐῶσιν αὐτὸν αὐτῷ οὔτ' ἐπὶ ταῖς γραφαῖς, οὔτ' ἐπὶ ταῖς δίκαις, οὔτ' ἐν ταῖς εὐθύναις. quippe in postremo demum genere valebat illud *δημοσίᾳ κρίνειν.* Nec prorsus hinc excludendum esse puto id, quod Lysias dicit Agorat. p. 488: *περὶ δὲ συκοφαντίας, ὅσας οὗτος ἢ δίκας ἰδίας συκοφαντῶν ἐδικάζετο ἢ γραφὰς ὅσας ἐγράφετο ἢ ἀπογραφὰς ἀπέγραφεν* —.

Omnino sic mihi videtur res sese habere, graviora ac severiora fuisse illa iudicia, in quibus reus ipsam civitatem laesisse argueretur, quam illa, quae, quamquam publici iudicii forma exercerentur, tamen crimine laesi privati continerentur. Neque tamen hoc discrimen certis ac definitis vocabulis indicari, et tamquam ratione notari ab oratoribus solitum fuisse video: sed nihilo minus, ut multa communia habebant, ita erant quibus inter se distarent illa duo genera. Negligenter sane Dionysius Halic. Admir. vi dic. in Demosth. T. VI. p. 1124. sq. tria genera ponit orationum, *δημηγορίας, δημοσίους ἀγῶνας,* et *ἰδιωτικοὺς λόγους,* quas postremas *περὶ μικρῶν συμβο-*

λαίων hominibus privatis scriptas dicit, quasi non in delictis quoque vindicandis versarentur *δίκαι ἴδιαι*. Sed operae pretium est attendere, in Iudicio de Dinarcho, cuius argumenti numeret tum *δημοσίους*, tum *ἰδιωτικούς*. Nam, quae inter *privatas* numeratur p. 663, *κακώσεως παιδὸς ὀρφανοῦ*, certe fuit *γραφή*· ideoque ibid. *ὕβρεως* quod numeratur, minus erat mirandum (conf. Boeckh. Oecon. Civ. Athen. I. p. 401.) Contra in *publicis* nulla memoratur quae ad privati iniuriam, quae iudicio publico (*γραφῇ*) vindicaretur, referri possit, sed omnes rei publicae aut legum tutandarum nomine susceptae actiones fuisse videntur, quantum apparet ex bis titulis (p. 651. sqq.): *δοκιμασίας· ἔνδειξις· ξενίας· περὶ τῶν κατὰ τὸ ἐμπόριον· εὐθῦναι· περὶ τῶν τιμῶν· Τυῤῥηνικός· κατὰ Διονυσίου τοῦ ἐπὶ τῆς διοικήσεως* (*εὐθῦναι*, ut videtur): *εἰσαγγελτικός·* aliae *εἰσαγγελίαι·* rursus *ἔνδειξις· παρανόμων· πρὸς τὴν Κηφισοφῶντος ἀπογραφὴν* (quae *εἰσαγγελία* esse potest): *πρὸς τὴν Χάρητος εἰσαγγελίαν· ὑπὲρ τῶν Ἁρπαλίων·* tum, in *ψευδεπιγράφοις*,

εὐθυντικός· κατὰ κηρύκων (quae, quum fuerit *περί τινος ἀποψηφισθέντος*, potuit pertinere ad *εἰσαγγελίαν·*) eiusdemque generis esse videtur *κατὰ Μοσχίωνος ἀπογραψαμένου αὐτὸν Νικοδίκου ἀπαγωγῆς· εἰσαγγελτικὸς δήμου καταλύσεως· κατὰ Σπουδίου* (quam ad ipsius civitatis causam pertinuisse, coniicio ex primis verbis, quae apponuntur, *ἐν τῷ δήμῳ κατηγορήσειν ὑπεσχόμην*, ut cogitari possit de *ὑπωμοσίᾳ*): *Ἀττικός· Αἰτωλικός· Διφίλῳ δημηγορικός· Ἑρμίᾳ ἐμπορίου ἐπιμελητῇ περὶ τῶν κατηγορηθέντων ἀπολογία* (videtur ad *εὐθύνας* pertinuisse): *περὶ Μενεσαίχμου* duae, altera *περὶ τῆς Δήλου θυσίας*, altera *πρὸς Περικλέα καὶ Δημοκράτην· ὑπὲρ τοῦ μὴ ἐκδοῦναι Ἅρπαλον Ἀλεξάνδρῳ· Δηλιακός· κατὰ Δημοσθένους παρανόμων.* Tum, quod omitti non oportet, numerantur in his *δημοσίοις* nonnullae *διαδικασίαι*, quae tamen, quum non ad privati cuiusquam delictum pertineant, sed potius ad ius publicum, confirmant meam suspicionem, in hac *δημοσίων* et *ἰδιωτικῶν λόγων* distributione hoc tantum spectasse Dio-

nysium, in iudiciis utrum actor ipsius rei publicae ac legum nomine ageret, etiamsi laesio neminem praecipue attingeret, an privatam iniuriam publici iudicii forma (γραφῇ) persequeretur.

Neque tamen, si in λόγοις ἰδιωτικοῖς numerat Dionysius eas quoque, quae manifesto fuerunt γραφῶν, statuere licet ab Atticis ipsis ullam γραφὴν fuisse ἰδίαν appellatam. Rursus, hoc mihi videor obtinere, δημοσίᾳ κρίνειν indicare iudicii indolem, quae non tantum a δίκαις, sed etiam a plerisque γραφαῖς esset diversa. Quare hoc discrimen verius videatur esse, quam id, quod Meierus contendit fuisse (Litt. Att. III. p. 166), ut aliae γραφαὶ non nisi a civibus, aliae a peregrinis quoque institui potuerint, nunc non persequar; nisi quod obiter animadvertam Schoemanni errorem, qui (Lit. Att. IV. p. 557), ut demonstret κακώσεως γραφὴν a peregrino institui potuisse, affert haec Demosthenis verba ex lege, Adv. Macart. p. 1068. 12, ἀπογραφέτω δε τὸν μὴ ποιοῦντα ταῦτα ὁ βουλόμενος πρὸς τὸν ἄρχοντα. Primum, non

concedo, propter compendiariam formam, quae in illis legibus excitandis, praesertim in hac oratione, dominatur, necessario verba *ὁ βουλόμενος* pertinere etiam ad peregrinos, et credo in ipsa lege plenam formulam exstitisse *ὁ βουλόμενος τῶν Ἀθηναίων οἷς ἔξεστι.* Dein, ne agitur quidem in hac legis clausula de ipsa *κακώσεως γραφῇ*, sed de actione instituenda adversus archontem *ἐὰν μὴ ἐπαναγκάσῃ τὸν ἐγγύτατα γένους ἢ αὐτὸν ἔχειν τὴν ἐπίκληρον ἢ ἐκδοῦναι*, concediturque in hunc *ἀπογραφὴ* ad exigendam mulctam mille drachmarum, qua ista negligentia sancita in lege erat; similisque mulcta imposita demarcho erat, in alia lege, ibid. p. 1069. 25, et archontibus, p. 1075. 3. Atqui huiusmodi *ἀπογραφὴν* (de quo genere actionum disputavi nonnulla in hoc Vol. III[tio] Scholic. Hypomn. p. 220) non certe potuisse a peregrinis institui, fatebitur, ut spero, ipse Schoemannus.

Non postulabis a me, vir celeberrime, ut singula iudicia percurram, neque hoc est huius loci nec praesentis controversiae. Tantum, ut arbitror, mihi concedes, quum *τί-*

μημα ὅ τι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι commune fuerit omnium γραφῶν, corrigendum esse locum illum Midianae transpositione, ut fecimus, et peculiarem naturam aliarum actionum indicari verbis δημοσίᾳ κρίνειν. Hoc postremum igitur, sicut ad ἐνδείξεις, ad δοκιμασίας, ad εὐθύνας, ad εἰσαγγελίας, ad γραφὰς παρανόμων, et ad omnia illa iudicia pertinebat (cuius generis pleraque sunt, quae persequitur Schoemannus Comitt. II. 2—5.), in quibus nemo erat qui se praecipue laesum esse quereretur, sed unius rei publicae et legum causa agebatur, ita maxime cernebatur in προβολῇ, sive potius in iudicio quod ἐκ προβολῆς instituebatur. Qua propter abuti me otio tuo aliquantisper patiare, ut quid mihi de προβολῆς indole, tum de tota actione cui haec Midiana destinata fuit videatur, paucis explicem, quoniam id promisi me facturum p. 129 huius Vol. Scholic. Hypomnematum.

Quaesitum est primum quod esset discrimen inter εἰσαγγελίαν et προβολήν (conf. Boeckh. de Tempor. Mid. p. 66. sq. Meier. Lit. Att. p. 272. quorum uterque in plerisque sequitur

Schoemannum Comitt. p. 209. sqq. et p. 227. sqq.) Quare ab his eruditissimis viris dissentiam, intelligetur in singulorum locorum interpretatione. Antiquissimum exemplum *προβολῶν* est apud Xenophontem Hellen. I, 7, 39, de iis, qui populo persuaserant, ut de praetoribus apud Arginusas *μιᾷ ψήφῳ* pronunciaret: *ἐψηφίσαντο, οἵτινες τὸν δῆμον ἐξηπάτησαν, προβολὰς αὐτῶν εἶναι, καὶ ἐγγυητὰς καταστῆσαι ἕως ἂν κριθῶσιν· εἶναι δὲ καὶ Καλλίξενον τούτων. Προυβλήθησαν δὲ καὶ ἄλλοι τέτταρες, καὶ ἐδέθησαν ὑπὸ τῶν ἐγγυησαμένων. Ὕστερον δὲ στάσεως γενομένης —, ἀπέδρασαν οὗτοι, πρὶν κριθῆναι* Non nimis diligentem rei expositionem sic, credo, intelligere debemus, extra ordinem psephisma conditum fuisse, ex quo *προβολαὶ* ferendae darentur contra eos, qui populum decepissent. Sed credibile non est quemquam nominatim hoc psephismate petitum esse: neque hic erat talium decretorum in populari fervore mos. Quare persuadere mihi non possum verba, *εἶναι δὲ καὶ Καλλίξενον τούτων*, ad ipsius psephismatis for-

mulam pertinuisse, fierique potest ut Xenophon hoc tantum significare voluerit, quem potissimum populus spectavisset. Porro consequitur, per ipsam προβολὴν actionem fuisse institutam ἀπατήσεως τοῦ δήμου, ipsumque populum in concione (non ἐν δικαστηρίῳ) suffragiis pronunciavisse τὸν προβληθέντα ἀδικεῖν, cui tum necessitas imposita fuerit fideiussores dare ἕως ἂν κριθῇ, i. e. donec tribunal definivisset ὅ τι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι· Xenophon autem hoc postremum bis verbo κρίνειν appellat, quod tamen proprium est eius disceptationis, in qua non de poena, sed de ipsa culpa agebatur. Quumque veterem legem fuisse constet (vid. Demosth. Leptin. p. 498. 3. Adv. Timoth. p. 1204. init.) quae εἰσαγγελίαν daret contra eum qui populum decepisset, quaeque iuberet κρίνειν, κἂν ἁλῷ, θανάτῳ ζημιοῦν, necesse est ut statuamus hanc προβολὴν, de qua refert Xenophon, ita ab εἰσαγγελίᾳ fuisse distinctam, ut cum rei delatione ad populum statim iudicium ipsum, contra morem, a concione exercendum coniunctum fuerit, poenaeque definitio, quoniam

interpretando demum delictum ad τὴν τοῦ δήμου ἀπάτησιν referretur, tribunalis sententiae reservata fuerit. Uno modo defendi potest Xenophonteum κρίνειν, quod in ipsa προβολῇ nulla videtur concessa fuisse προβληθέντι defensio, eaque si post demum in tribunali uti potuit, vere haec demum κρίσις appellanda fuit, quae, ut constat, nulla appellari poterat, nisi in libera litigantium contentione.

Videamus an ex aliis quoque indiciis hoc colligere liceat, quum εἰσαγγελία sive ad senatum, sive ad populum rem integram relinqueret Heliaeae, quae ipsa demum primum pronunciaret reum teneri, tum poenam aestimaret, in προβολῇ contra fieri solitum fuisse, ut prius illud iudicium statim, sine disceptatione, penes populum esset.

Statim advertit me id, quod Schoemannus Comitt. p. 238 docet, »actorem primum adire »debuisse Prytanes, iisque προβολὴν, scripto »haud dubie consignatam, tradere: — tum, in »comitiis ab actore adversarium productum »esse, et, post propositam a Prytanibus προ»βολὴν, utrumque verba pro se ad populum

» fecisse." Horum nihil reperio confirmatum ab ipsis oratoribus. Nec produci solitum fuisse adversarium demonstratur corrupto Scholio in Lex. Rhetor. p. 288 v. *προβολή*. Ipsa contra violentior indoles huius iudicii, quod *προβολῆς* nomine indicatur, postulat ut de delatione cogitemus quae primum et statim in populi concione fiat: et quemadmodum in aliis actionum generibus lex iubere solebat vel *γράφεσθαι πρὸς τοὺς θεσμοθέτας*, vel *εἰς τὴν βουλὴν εἰσαγγέλλειν*, ita *προβολαὶ* factae sunt *ἐν τῷ δήμῳ*, sicut diserte distinguit Isocrates Antid. § 337 (quem locum apposui in hoc Volumine p. 118.) De adversarii defensione nihil suspicari licet ex iis, quae Demosthenes in principio Midianae memorat: nam illa, *πάντα ποιοῦντος τούτου (τοῦ Μειδίου) καί τινων ἄλλων ὑπὲρ αὐτοῦ, οὐκ ἐπείσθη (ὁ δῆμος), οὐδ' ἀπέβλεψεν εἰς τὰς οὐσίας τὰς τούτων οὐδὲ τὰς ὑποσχέσεις*, nemo dubitabit, puto, quin referenda sint ad preces, et minas et blanditias, quibus isti a singulis suffragia consequi sperarent (conf. p. 580. fin.), quibusque artibus postea quoque *πρὸ τῶν*

δικαστηρίων usus esse Midias dicitur ibidem. Contra, veram disceptationem post demum exstitisse in tribunali, manifesto indicat haec oppositio, ibid. p. 516. 18. *ὕβρισμαι μὲν ἐγὼ — τότε, ἀγωνιεῖται δὲ καὶ κριθήσεται τὸ πρᾶγμα νυνί*: nam si in ipsa *προβολῇ* defensio concessa fuisset, iam tum esset *ἀγὼν* et *κρίσις*. Nihilominus in lege p. 517. haec verba consideranda sunt: *ἔπειτα* (*οἱ Πρυτάνεις*) *τὰς προβολὰς παραδιδότωσαν τὰς γεγενημένας ἕνεκα τῆς πομπῆς — ὅσαι ἂν μὴ ἐκτετισμέναι ὦσιν.* In quibus tamen propter partic. *γεγενημένας* non necesse esse puto ut sermonem esse dicamus de querelis, quae ante concionem apud Prytanes sint institutae, neque alias intelligendas arbitror praeter eas quae, proposita per praeconem quaestione quis quem *προβάλλεται* (quod ipsum est *χρηματίζειν*, *copiam facere*), nunc ipsum factae essent, quasque tum Proedros oportebat *παραδοῦναι διαγινώσκειν* sive *χρηματίζειν*, ut ipse orator interpretatur, eaque ipsa locutio indicat, concionem in ea re iudicium exercuisse. Extrema verba (*ὅσαι ἂν μὴ ἐκ-*

τετισμένας ὦσιν) alii aliter explicuerunt. Boeckhius verbi causa (l. c. p. 65 et 67) ita interpretatur, »quae nondum soluta mulcta »pecuniaria sublatae sint." Schoemannus Comitt. p. 238 exponit, »nisi si interim reus »actori satisfecerat". Meierus Lit. Att. III. p. 275 similiter, ut Boeckhius, putat *προβολὴν*, prius apud Prytanes (aut potius Proedros) institutam, horum *ἐπιβολῇ* potuisse superari. Haec postrema interpretatio tum vera esse poterit, si demonstrabitur et apud Prytanes ante institui solitam fuisse *προβολὴν*, et Prytanes (aut Proedros) *ἐπιβολῆς* indicendae potestatem habuisse, et, si habuerint, cadere hoc poenae genus in ea delicta, adversus quae *προβολὴ* daretur: nam Boeckhii opinionem, intelligendam esse condemnationem quam Senatus pronunciaret, satis bene refutavit Meierus l. c. not. 57, nisi quod ipse errare mihi videtur, quum dicit, propterea, quod nihil *ἀπροβούλευτον* ad concionem ferri liceret, statuendum esse Prytanes ante cuiusque *προβολῆς* Senatum certiorem fecisse: nam nec demonstratum est *προβολὴν* ante concionem ad

Prytanes fuisse delatam, neque apparet quo consilio delatam ad se isti cum Senatu communicaturi fuissent. Non attenditur satis, pace doctissimorum virorum dicam, istiusmodi peculiaribus legibus de industria tum minutam esse Senatus et magistratuum auctoritatem, tum confirmatam populi potestatem, ipsaque iudicia severiora facta esse quae προβολὴ excitaret: nam hoc consilio latam esse legem τῶν προβολῶν, perspicue docet Demosthenes Mid. p. 525. 14. Sed eluditur ista severitas, si reus qualiscumque mulctae vel a Senatu, vel a Prytanibus damnatus iudicio ipso liberari potuerit. Igitur hoc distabant προβολαὶ ab εἰσαγγελίαις, quod hae ad Senatum aut ad populum sic deferebantur in iisque secundum εἰσαγγελτικὸν νόμον certa via ac ratio servabatur, ita ut res integra Heliaeae reservaretur; προβολαὶ, contra, statim ac necessario in concione, sine κρίσεως disceptatione, accipi poterant, ita ut post in tribunali non nisi de poena certamen esset; quo fiebat ut istic moderationi et prudentiae locus relictus esset, hic omnia libidine et impetu profligari possent. Quid

igitur est istud *ἐκτετισμέναι*? Neque enim probari potest id, quod Schoemannus putabat, interim (igitur ante concionem) actori satisfacere reum potuisse, propterea quod non ante, quam in ipsa concione, *προβολαὶ* instituebantur; et, si ante, v. c. apud Prytanes, institui potuerint, aliae leges erant, quae privatam *διάλυσιν* vitarent, praesertim in publica causa, quam peragi totius civitatis interesset, unde ipsa locutio fluxerat *τῇ πόλει βοηθεῖν*. Quod difficultatem interpretandi auget, hoc est, quod prorsus contra sermonis indolem dicitur *προβολὴν ἐκτίνειν*. Umquamne *γραφὴν ἐκτίνειν*, aut *εἰσαγγελίαν*, aut *φάσιν*? Non puto posse. Fateor me ista nullo modo expedire posse. Tu si poteris, celeberrime Hermanne, gratus audiam.

Hoc porro interest inter *προβολὴν* et *εἰσαγγελίαν*, quod haec ad Heliaeam non nisi populi aut Senatus mandato per Thesmothetas deferebatur, in *προβολῇ* autem, quum nullum eiusmodi mandatum praecederet, per ipsum *τὸν προβαλλόμενον* videtur stetisse, utrum causam, id est poenae aestimationem, deferre

ad Thesmothetas vellet. Nisi enim hoc integrum ei mansisset, quid opus erat ut commemoraret Demosthenes (p. 515. 5), post *προβολὴν* acceptam a populo multos se adiisse, qui eum hortarentur *ἐπεξελθεῖν καὶ παραδοῦναι* Midiam *εἰς δικαστήριον*? De Thesmothetis, quin habuerint *εἰσαγωγὴν*, non intelligo quare dubitaverit Schoemannus Comitt. p. 239: conf. Meier. Lit. Att. III. p. 276. Minus curo Pollucem VIII. 87, quam ipsum Demosthenem, qui p. 524. 19 non dixisset *τῶν θεσμοθετῶν τούτων*, nisi hi praesentes iudicio praeessent. (Boeckhium miror, qui l. c. p. 68. not. 2. castigare Lexicographum, quam corrupta verba corrigere maluerit.) Sed uterque, et Boeckhius, et Meierus, haesit in illis, quae initio dicit orator, p. 515. 14, *ἐπειδή τις εἰσάγει·* quamquam hic interpretari studet ita, ut dicat sic exprobrari magistratui moram factam in iudicio persequendo. Non nego hoc ingeniose excogitatum esse: verumtamen probabilior mihi videtur esse suspicio significari ita instaurata iudicia, quae per bellum Euboicum interrupta fuerant. Perperam enim Meie-

rus Bon. Damn. p. 190 iustitia intra privatas causas constitisse docet: conf. Schoemannus Litt. Att. II. p. 154. not. 70: in Thucydide adeo VI. 91. fin. necessario publicae causae intelligendae videntur.

Iterum quaeritur, *προβολὴ* fueritne *ἀγὼν τιμητός*. Affirmat Schoemannus Comitt. p. 239. sq. Sed, quos Midianae locos indicat quibus hoc confirmet, eorum alterum (p. 523. init.) necessario correxisse mihi videor, alterum tractavi in hoc Volumine p. 148, qui tamen multum abest ut demonstret aestimationem ab actore profectam esse. Probavit tamen postea eamdem sententiam Meierus Lit. Att. III. p. 277: quamquam verius mihi videtur ante pronunciasse Boeckhius l. c. p. 67, nullam ab actore fieri solitam fuisse aestimationem. Potuisset etiam hunc Midianae locum indicare, p. 521. 19: *πάντων οὖν τούτων ἀθρόων ἓν τίμημα ποιήσασθε, ὅ τι ἂν δίκαιον ἡγῆσθε.* unde apparet iudices, non actorem, poenam aestimasse. Et tamen mirum videri potest veram eius rei causam neglectam esse a viris doctis, quae in ipsius iudicii ratione

quaerenda est. Propterea enim quod nulla γραφὴ exhibebatur apud magistratum, neque ea ad tribunal deducenda erat, sed repente in ipsa concione proponebatur ea querela, spretis aliis, quae praesto erant, delicti persequendi actionibus, hoc consilio, ut reus populi odio obiiceretur, itaque praepararetur violentius iudicium, nomine totius civitatis exercendum, intempestivum fuisset poenae aestimationem petere ab actore, quippe in qua aestimatione necessario et moderationis et legum ratio habenda esset, quorum utrumque nunc omitti cupiebat actor, quum ne certa quidem etiam nomina essent, quibus ista delicta designarentur, nihilque aliud in προβολῇ obtinere studeret actor nisi reum ἀδικεῖν περὶ τὴν ἑορτήν. Itaque pariter ut εἰσαγγελία, instituebatur quidem προβολὴ ex lege, sed actori nullam aliam potestatem lex concedebat praeter ipsam denunciationem; poenam et petebat, et aestimabat ipsa civitas, indeque δημοσίᾳ κρίνεσθαι hoc dicebatur.

Satis multa, celeberrime Hermanne, aut fortasse nimis multa etiam nugari tibi videbor

de illo genere actionis. Sed hoc certe obtinere mihi videor, perperam a viris doctis huius iudicii indolem exponi, ut esset non nisi praeiudicium populi, quo fretus actor ipsam dein actionem deferre posset. Contra, institui censeri oportet actionem per ipsam προβολὴν, de qua prima suffragia (πότερον ἀδικεῖν δοκεῖ ὁ φεύγων) tulerit concio, altera reservata fuerint tribunali, in quo poena aestimaretur, sed simul etiam causa ipsa denuo tractaretur (conf. Heffter. Iudic. Ath p. 231.), unde, quod supra ex Demosthenis verbis confeci, haec vere demum κρίσις appellabatur. Quae quum citra actoris γραφὴν, nec nisi ex concionis pronunciata sententia (conf. Heffter. ibid. extr.) institueretur, ideo δημοσίᾳ fieri dicebatur (δημοσίᾳ κρίνειν, p. 523. init.) Tum hoc erat, quo horum iudiciorum severitas distinguebatur a reliquis publicis actionibus, quod in his actoris libido et malevolentia coërcebatur mulctae periculo, sive quum institutam actionem non esset persecutus, sive quum in ipso iudicio quintam suffragiorum partem non tulisset, in illis contra numquam ἐπὶ χιλίαις

certabat actor: idque tam in εἰσαγγελίᾳ, quam in προβολῇ valebat, id quod non attendit, alios, credo, secutus, Meierus Lit. Att. III. p. 269; nec, ut mihi videtur, rem bene perspexit Schoemannus ibid. IV. p. 734. sq., nec Boeckhius Oecon. Civ. Athen. I. p. 406. sqq. Plus apud me valet hac in re ipsa iuris ac disciplinae publicae ratio, tum Hyperidis, apud Pollucem VIII. 52 auctoritas (ὅτι ὁ εἰσαγγείλας καὶ οὐχ ἑλὼν ἀζήμιός ἐστι), quam Theophrasti, ibid. 53, quem inscite adeo defendit Lexicographus, quasi postea ea poena legi adiecta esset διὰ τοὺς ῥαδίως εἰσαγγέλλοντας, si quidem in his quoque actionibus ipsa vera κρίσις instituebatur demum ex populi aut ex Senatus decreto, quo uno solutum omni periculo fuisse actorem aequum est. Eademque ratio suadet ut τὸν προβαλλόμενον mulcta mille drachmarum, quam debebant οἱ οὐκ ἐπεξελθόντες, liberatum fuisse existimem: conf. quae supra monui p. XL. ex Demosth. p. 515. 5: et tum multa alia sunt in Hudtwalckeri (Diaetet. p. 159. sqq.) disputatione reprehendenda, tum perperam ipse Boeckhius

l. c. p. 406, in Demosthene, quum causam adversus Midiam non persequeretur, indicium exstare legem illam non perpetuo servatam esse, statuit. Neque Aeschines, si ita in ἀτιμίαν incidisset Demosthenes, hoc commemorare neglexisset Ctesiph. p. 441: neque ulla causa erat, quare hanc poenam commemoraret idem in Timarchi negotio (p. 131.), quod quale fuerit prorsus non intellexit Hudtwalckerus p. 163. Timarchus enim, quum in διαψηφίσει demotis persuasisset Philotadem ἀποψηφίσασθαι, itaque dicitur ἐπιστὰς τῇ κατηγορίᾳ ἐπὶ τοῦ δικαστηρίου, id est, suscepisse accusandi munus in tribunali, si ea causa per ἔφεσιν in iudicium adducta esset, non ab ipso, sed a Philotade, non tamen prodiit accusator, sed acceptis 20 minis προὔδωκε τὸν ἀγῶνα, id quod longe diversum est ab actione instituenda eademque non persequenda: itaque peccasse dicitur Timarchus contra iurisiurandi religionem, quod in demotarum illo conventu praestiterat.

Restat aliud quid notandum in illo, quod arguere studui, παρεμβλήματι. Quid enim,

quaeso, hoc sibi vult, quod verbis, *ὅσοι δ' ἂν γράφωνται γραφὰς ἰδίας* additur *κατὰ τὸν νόμον*? Quam legem intelligit? Peculiaremne, qua istae *γραφαὶ ἴδιαι* regerentur? Ego novi nullam. Et, ubi in ipsa legis formula alia lex commemoratur, fieri hoc solet, ut decet, quum certo indicio, tum necessario: veluti in Euagori lege apud Demosth. Mid. p. 518. init. *καθὰ περὶ τῶν ἄλλων ἀδικούντων γέγραπται.* Timocr. p. 710. fin. *κατὰ τὸν νόμον ὅς κεῖται, ἐάν τις μὴ ἐπιτήδειον θῇ νόμον.* ibid. p. 713. 7. *κατὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους.* quae omnia valent ad regendam actionem aut poenam; sed tam indefinite, *γράφεσθαι γραφὰς κατὰ τὸν νόμον*, nemo umquam locutus est.

III. Hoc praeterea mihi concedas, celeberrime Hermanne, ut, quantumvis loquax tibi videar, conferam hanc, quam apposuit Demosthenes, *ὕβρεως* legem, cum ea, quae exstat apud Aeschinem Timarch. p. 41. Nosti sane controversiam fuisse inter Petitum et Heraldum, utrum duae essent illae diversae leges, an una eademque esset habenda. Postremam

sententiam probat Meierus l. c. p. 321. sq., ingeniose sane ex utroque loco unam continuamque legis formulam constituens. Dicam quid mihi videatur. Primum tenemus hoc, leges illas non ab ipsis oratoribus interpositas fuisse actionibus suis, sed postea a grammaticis insertas. In Aeschine autem hoc factum esse negligentissime ostendere conabor. Primum ne necesse quidem erat legem ipsam apponi. Praecesserant haec: *καὶ ποῖον ἄλλον; Τὸν τῆς ὕβρεως, ὃς ἑνὶ κεφαλαίῳ πάντα τὰ τοιαῦτα συλλαβὼν ἔχει, ἐν ᾧ διαῤῥήδην γέγραπται »ἐάν τις ὑβρίζῃ εἰς παῖδα"* (*ὑβρίζει δὲ δήπου ὁ μισθούμενος*) *»ἢ ἄνδρα, ἢ γυναῖκα, ἢ τῶν ἐλευθέρων τινὰ, »ἢ τῶν δούλων, ἢ ἐὰν παράνομόν τι ποιῇ »εἰς τούτων τινὰ," γραφὰς ὕβρεως εἶναι πεποίηκε, καὶ τίμημα ἐπέθηκεν ὅ τι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι. Λέγε τὸν νόμον.* His subiicitur haec legis formula, quamquam praecipua capita, quorum causa memoratur, iam accurate exposita erant: *ἄν τις Ἀθηναίων ἐλεύθερον παῖδα ὑβρίσῃ, γραφέσθω ὁ κύριος τοῦ παιδὸς πρὸς τοὺς θεσμοθέτας*

τίμημα ἐπιγραψάμενος, ᾧ ἂν τὸ δικαστήριον καταψηφισθῇ, παραδοθεὶς τοῖς ἕνδεκα τεθνάτω αὐθήμερον· ἐὰν δὲ εἰς ἀργύριον καταψηφισθῇ, ἀποτισάτω ἐν ἕνδεκα ἡμέραις μετὰ τὴν δίκην, ἐὰν μὴ παραχρῆμα δύνηται ἀποτίνειν. ἕως δὲ τοῦ ἀποτῖσαι εἱρχθήτω. ἔνοχοι δὲ ἔστωσαν ταῖσδε ταῖς αἰτίαις καὶ οἱ εἰς τὰ οἰκετικὰ σώματα ἐξαμαρτάνοντες. In his dubium mihi non est, quin turbata sit series rerum. Statim offendit hoc, quod, quum modo, legis argumentum commemorans, iusto ordine et continuo posuisset *παῖδα, ἄνδρα, γυναῖκα, τῶν ἐλευθέρων τινα, τῶν δούλων*, nunc initio non nisi *παῖδα* habet lex, et istud de servis tamquam appendicula perfectae legi adiicitur. Tum, quare *γραφὴ* tantum conceditur *τῷ κυρίῳ*, quum aliunde constat *τὸν βουλόμενον* instituere potuisse? Neque enim, puto, *τοῦ κυρίου* in lege mentionem vindicabit hoc, quod orator p. 43 legem ita interpretatur, ut dicat eam *διαλέγεσθαι τοῖς περὶ τὸν παῖδα, πατρὶ, ἀδελφῷ, ἐπιτρόπῳ, διδασκάλοις, καὶ ὅλως τοῖς κυρίοις.* Putavit enim, quum *ὁ*

βουλόμενος diceretur, usurpari tamen solitam esse eam potestatem accusandi ab iis, quos proxime laesus attingeret. Rursus, locutionem *τίμημα ἐπιγραψάμενος*, quamquam rectam per se (conf. Isaeus Pyrrh. hered. § 2. ibique Schoemann.), vehementer suspicor a legis formula alienam esse. Diversum est enim id, quod in lege apud Demosthenem Macart. p. 1076. 21. dicitur, quo regitur forma actionis ab ipso archonte instituenda et ad tribunal deducenda. Neque usquam, quantum memini, haec poenae aestimandae facultas actori concessa in legum verbis ipsis memoratur, nec nisi tribunalis potestas poni solet aestimationis definiendae, *τιμάτω ἡ Ἡλιαία*, sicut tum alibi, tum apud Demosthenem Timocrat. p. 720. fin. et 733. 14. Quae sequuntur, *ᾧ ἂν τὸ δικαστήριον καταψηφισθῇ* (al. *καταψηφίσηται*), nolo nunc urgere ipsa corrupta quodammodo et truncata esse, de quo monuerunt Interpretes: sed inferuntur haec abrupte, praetermissa ea aestimatione (*τοῦ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι*), qua tribunal uti oporteret, neque etiam *δικαστήριον*, sed *Ἡλιαία* solet in le-

gis formula poni. Apparet tamen hoc voluisse eum, cui haec lex debetur, optionem fuisse Heliaeae cuius reum condemnaret, mortis an pecuniae. De altero, mortis damnatum tradi oportuisse undecimviris, nihil repugno: in altero vitiosa est locutio εἰς ἀργύριον καταψηφισθῆναι, pro ἀργυρίου· tum ridicula prorsus est haec sanctio, solvi oportere mulctam intra undecim dies μετὰ τὴν δίκην, nisi statim solvere possit, adiecto, donec solvisset carceris poenam esse: satis enim hoc postremum erat, et illud de undecim diebus prorsus otiosum. Boeckhius tamen l. c. I. p. 416. probasse hoc videtur, qui veram ac simplicem clausulam post demum exstitisse arbitratur, in lege Midianae p. 529, et istius undecim dierum προθεσμίας rationem explicans, quam perquam dubito aliunde confirmari posse. Ipsum quoque εἰρχθήτω non est eius sermonis, quem leges Atticae servant: εἵργειν quippe de ea custodia dici solet, quae privata fiat auctoritate, publice dicebatur δεδέσθω. Sequitur, ἔνοχοι — αἰτίαις. quae locutio ipsa per se quidem bene Graeca est (conf. Lysias Theomnest. § 22.

saeus Hagniae hered. § 15. Aeschines Timarch.). 76 et 78.), sed aliena est a consilio legis, n qua dici oportebat *iisdem legibus teneri* alios, aut *poenis;* sicut apud Lysiam Caed. Eratosth. § 32, et Demosth. Aristocr. p. 632. 2, *ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐνέχεσθαι.* (ibid. p. 634. 14. *τὰ ἴσα ὀφείλειν*) Macart. p. 1069. 10. *ἐν τῷδε τῷ θεσμῷ ἐνεχέσθων.* Ipsum *ἐξαμαρτάνοντες* est communis orationis vocabulum, nec decet pressum et accuratum legis sermonem, in qua requireretur h. l. *ὑβρίζοντες.* Gravissimum omnium est, quod *οἰκετικὰ σώματα* appellantur, cuius appellationis perquam velim mihi alterum exemplum ostendi, et, si esset, non tamen huius legis fuisse manifesto inde conficitur, quod orator ipse subiicit, *τι δή ποτε τῷ νόμῳ τῷ τῆς ὕβρεως προσεγράφη τοῦτο τὸ ῥῆμα, τὸ τῶν δούλων,* et paulo inferius, *προσέγραψε μηδ' εἰς τοὺς δούλους ὑβρίζειν·* quod tamen ipsum vocabulum quum suo loco posuisset, nunc in ipsa lege non adesse videmus. Fieri potest ut et aliis, et, quod maxime tamen nolim, tibi, celeberrime Hermanne, audacior videar: nec

tamen reticere possum, propter tot fraudis indicia mihi videri totam illam legis formulam ab imperito quodam Grammatico confictam esse.

Istis sublatis restat tamen diserta satis legis commemoratio in ipsius oratoris verbis quae praecedunt, ita ut utiliter ista cum lege in Midiana conferri possint. Quo loco tamen vehementer dissentio a Meiero, qui primum (l. c. p. 321.) duas aut plures leges *ὕβρεως* fuisse putat, propter locum Demosthenis Conon. p. 1264. 11. Sed, quod istic dicitur, *λαβὲ δή μοι καὶ τοὺς νόμους τοὺς τῆς ὕβρεως καὶ τὸν περὶ τῶν λωποδυτῶν*, nisi aliunde contrarium demonstretur, fidenter corrigam *τὸν τῆς ὕβρεως*. Atqui contrarium ostendi quum nulla certa ac propria auctoritate possit, dudum quaesiverunt viri docti, patereturne *ὕβρεως* vocabulum ut ad diversa genera *αἰτιῶν* referretur: nam aliam esse *ὕβριν δι' αἰσχρουργίας*, aliam *διὰ πληγῶν*. Ne longe aberrem, percurram Meieri l. c. disputationem: qui p. 322, consarcinata ex iis, quae tum apud Aeschinem tum quae apud Demosthenem prostant, una lege *ὕβρεως*, hanc intelligi putat

quam δι' αἰσχρουργίας appellant, itaque recte et proprie eam legem commemorari in Timarchea, sed a Demosthene per calumniam tantum proferri ad eas iniurias quae dicuntur διὰ πληγῶν. Duo velim attendisset Meierus: primum apud Aeschinem ipsum ex interpretatione tantum ὕβριν appellari ἐπὶ μισθώσεως, itaque minime per se restringi vocabulum ad peculiare genus iniuriarum: tum aliunde constare ὑβρίζειν ex lege ad complura genera pertinere. Secundo loco, tam diserta est Demosthenis in Midiana disputatio, ut vix credibile sit eam legis interpretationem ab eo defendi, quae manifesto consilio legis repugnaret, affirmarique ab eo Midiam ea teneri lege, quae non nisi αἰσχρουργίαν attingeret. Memoratur γραφὴ ὕβρεως apud Demosthenem Contr. Steph. ψευδομ. I. p. 1102. 17. Hanc ideo ab Apollodoro institutam fuisse contra Phormionem ait Meierus p. 323, quod is matrem Apollodori corrupisset sive vi, sive volentem, itaque uxorem duxisset. De isto matrimonio dixerat actor paulo ante, ὃν δὲ τρόπον, οὐκ ἴσως καλὸν υἱεῖ περὶ μητρὸς ἀκριβῶς εἰ-

πεῖν· quod quale sit, declaratur ibid. p. 1125. 14. tum Orat. II. p. 1135. 19, nempe Phormionem διεφθαρκέναι matrem Apollodori. Sed prudentius fecisset Meierus, si habita ratione eorum, quae altero loco (p. 1125. 20, τηλικαύτας μαρτυρίας ἐξενηνοχὼς τῆς ὕβρεως τῆς σαυτοῦ) dicuntur, ὕβρεως vocabulo et actione plura illa comprehendisset, quae istic commemorata erant. Quapropter, quum ea ipsa γραφὴ eventum nullum habuerit (τῆς μὲν γραφῆς ἐκκρουομένης. p. 1102. 19), haud alienum fuerit suspicari ab Apollodoro istam ὕβρεως γραφὴν, quam praesertim temporibus coactus substituisset privatae de paterna hereditate actioni, per calumniam fuisse institutam.

Scilicet nusquam in legibus definitum erat quid esset ὕβρις, sed usi videntur Athenienses eo crimine ex communi usu sermonis, itaque late interpretabantur sic, ut cuique causae conveniebat. Ideo nec facile est omnia enumerare, quae istiusmodi crimine comprehendi potuerint, et perperam mihi videtur Meierus p. 324 velut alterum genus eam iniuriam po-

suisse, quae *διὰ πληγῶν* fieret. Ne Grammaticorum quidem indigemus definitione, qui ut *μετὰ προπηλακισμοῦ* illata ista iniuria esset requirunt: nam hoc ipsum, aut, id, quod in Midiana dicit Demosthenes, *ἐφ' ὕβρει*, quomodo aut definiri, aut demonstrari poterat? Sed vehementer abutitur idem vir doctissimus p. 325 Aristotelis loco Rhetor. II, 24, 9. Exemplum ponit philosophus *ἐνθυμήματος φαινομένου* huiusmodi, *τὸ τύπτειν τοὺς ἐλευθέρους ὕβριν εἶναι·* quod falsum esse ita demonstrat, *οὐ γὰρ πάντως, ἀλλ' ὅταν ἄρχῃ χειρῶν ἀδίκων.* Igitur, inquit Meierus, *τοὺς δούλους τύπτειν* non est *ὕβρις.* Vix credibile est quemquam sic errare posse, ut pro definitione iuris accipiat temere proiectum enthymema, et ne hoc quidem videat, quum universe reprehendi istud, tum in eo corrigi, quod *τύπτειν* non semper, sed tantum *ὅταν ἄρχῃ χειρῶν ἀδίκων*, in *ὕβρεως* crimine ponendum est. Confirmari tamen illud suum, sine iniuria servum verberari posse, putat Meierus ex loco Demosthenis Nicostr. p. 1251. fin., in quo *παιδάριον ἀστὸν* in-

terpretatur *puerum civilem*, i. e. opinor, et liberum, et parentibus civibus natum. Mihi contra videtur, neque ἀστὸν sic accipiendum esse, sed de *urbano* dici famulo, qui opponatur servo rustico, et παιδάριον non tam de libero homine, quam de puero, i. e. servo dici. Tu velim iterum inspicias locum dudum tibi cognitum, et dicas mihi utrum temere statuam Nicostratum de ὕβρεως γραφῇ cogitaturum non fuisse, nisi κύριος istius pueri fuisset. Quo praeterea iure, nisi ita esset, istum in Apollodori hortum, cum mandato, misisset? Quae si ita sunt, minime opus est incredibile quoddam confingere cum Meiero, ut dicamus oratores (Hyperidem, Demosthenem, Lycurgum: conf. Athenae. VI. p. 266, F.) legem illam ὕβρεως per calumniam tantum in servis quoque ad πληγὰς retulisse, quum proprie non nisi αἰσχρουργία intelligenda esset. Et, si otio tuo abuti vellem, celeberrime Hermanne, ex permultis oratorum locis demonstrare poteram, ut opinor, legislatorem in illa ὕβρεως lege neque de uno et certo quodam genere iniuriarum cogitasse,

et necessario istius verbi interpretationem tum actoris ingenio, tum communi sermonis consuetudini reliquisse. Sed neque plures ὕβρεως leges fuerunt, neque hoc demonstrari poterit inde, quod apud Demosthenem Conon. p. 1256. 9. αἱ τῆς ὕβρεως γραφαὶ appellantur.

Sed vera illa lex, quam servatam agnoscimus in illo Midianae loco, praeterquam quod emblemate illo, quod significavi, liberanda est, in ipsa tamen clausula laborat, id quod viderunt viri docti. Frustra adhuc exspectavi Meieri Commentarium, cuius spem nobis fecerat edita ante hos tredecim annos Midiana. Tu ipse quid statueres, quum pulcherrimam orationem nuper auditoribus interpretareris, nescio. Mihi sic videtur: quamquam mortis adeo poenam petere potuerit actor (conf. Demosth. Conon. ibid. 14 θανάτου κρίνας τουτονὶ), tamen eius non necesse esse mentionem fieri in lege, quantum coniicio ex aliarum legum collatione, veluti Timocr. p. 720. fin. et p. 733. Sed tollenda sunt verba nihili, tum τῆς ὕβρεως post τιμηθῇ, tum ἐὰν ἐλεύθερον ὑβρίσῃ. Agnoscis enim, spero, ista si servanda essent,

ridiculum hoc oriturum esse, si quis propter servum violatum pecuniae damnatus esset, hunc omni solvendi vinculo liberatum fuisse.

Non ignoro haec omnia, quae persecutus sum, doctius et enucleatius exponi potuisse. Sed disciplinam istius argumenti mihi non sumo, nec nisi modeste et breviter explicare in animo erat, quare a recepta sententia discederem. Tuum iudicium erit, celeberrime Hermanne, quid perfecerim; cuius et prudentiam et eruditionem tanti a me fieri scias, quanti a quoquam alio. Quibus excellentibus virtutibus ut diu pergas literas nostras ornare, etiam atque etiam opto. Vale.

Scribebam Lugduni-Batavorum mense Maio a. CIƆIƆCCCXLIV.

I.

De Gorgiae Platonici consilio et ingenio (*).

—— GORGIAM Platonis quum superiori anno vobis interpretabar, quum multas partes praestantissimi dialogi melius percepi, tum aliquanto melius mihi videbar perspicere id, de quo diversae minimeque constantes sunt doctorum virorum sententiae, quale esset libri consilium, et ad quam esset demonstrationem totus referendus. Qua de re tunc diserte explicare sententiam non poteram, satis habens si in singulis rite intelligendis vos exercerem, et digito tantum monstrarem ea, quorum in hoc disputandi genere ratio habenda esset.

(*) Disputavi haec m. Septembr. a. 1839.

Nihilominus deberi hoc vobis non posse arbitror, neque explicato Tulliano dialogo De Oratore vacuum hunc locum relinqui, qui videatur utriusque et Platonis et Ciceronis communis esse. Quapropter quod e feriarum otio reliquum mihi temporis fuit ab aliis institutis contuli ad suspicionem meam explorandam ac ponderandam diligentius, quaerendique eventum hac hora exponere vobis decrevi.

Sed fore suspicor quibus haec quaestio de consilio Gorgiae Platonici otiosa fere videatur; qui caput esse existiment singula intelligere, universa autem quo pertineant vel diserte quemque scriptorem indicare, ut nulla causa sit ambigendi, vel fieri posse, ut nullum destinatum habuerit propositum, sed alia ex aliis nectere voluerit, ita ut frustra quaeratur id, quod inveniri nullo modo possit. His ita respondendum esse arbitror, tertium quoddam genus eorum esse, quos ipsum institutum et forma operis vetet quo minus propositum declarent ipsi, quosque nihilominus praecipuum quiddam cogitavisse qui neget, stolidus sit et gravissimos scriptores turpissimae levitatis arguat. Quid Aristophanes? nihilne in singulis fabulis spectavit cui facetias opponeret, nullum abusum aut nullam insaniam quam acriter perstringeret aut ridicule traduceret, nullam turpitudinem quam severe castigaret? Nusquam tamen ista de industria appel-

lat; sed, ut tunc intelligebantur, ita nobis divinanda reliquit, quaerenda certe multo studio temporum illorum et morum. Haud secus de Platonis Socraticis dialogis statuendum est. Non sunt ii commentarii, ut Xenophontis, quibus ea, quae vere ipse Socrates disputavisset, literis consignarentur: ipsius continent Platonis philosophiam, quae quod forma plerumque utebatur arguendi et contra disputandi, non idcirco quod ipsa statueret non habebat. Sint sane nonnulli dialogi, in quibus perquam difficile sit quidquam videre praeter illam cavillandi exercitationem; longe tamen plerique et potiores dubium non est quin certam contineant demonstrationem, opinionum disciplinarumque conditioni, quae tunc erat, accommodatam. Sed difficilis in primis est illa consilii indagatio. Nam ut fere fortuito orti sermones finguntur, ita nullo destinato itinere duci a colloquentibus videntur certe, prout hos vel ipsorum ingenium aut libido, aut non raro vel subito iniectum vocabulum rapit et flectit in omnes partes. Nisi quis igitur gravissimum philosophorum lusisse, ut poetam, statuat, non ea placita demonstrasse et commendasse quae obiiceret aliorum erroribus aut somniis, operam dandam esse intelligitur sedulo, ut cuiusque voluminis summam sententiam et extremum consilium agnoscamus. Quo loco operae pretium est monere,

ex hoc demum studio vere adumbrari posse Platonicae philosophiae imaginem: quam qui componunt ex iis quae sparsim per libros complures dicta reperiuntur, metuendum est ne temere arripiant ea, quae non nisi ex concertandi altercandique studio orta argutiarum potius et acuminis, aut etiam venustae orationis continent specimina, non item placitorum fundamenta, quae perpetuo obtinere velit philosophus. Satisne vobis demonstravi, non minus hoc ad rectam Platonis intelligentiam pertinere, quam singulas cuiusque voluminis partes interpretari et verba et sententias? Possum sane describere qua via istuc pervenire liceat, quaeque sint in istis considerandi rationes tenendae: sed praestat exemplo explicare, unde praecepta ipse quisque colligat.

De Gorgia quot sint discrepantes sententiae, e Prolegomenis cognovistis, quibus recentissimae fere editiones instrui solent. Antiquitus iam haec opinio, ut videtur, dominata est, nihil aliud spectavisse Platonem, nisi ut oratores et rhetoricam irrideret; unde profecta est altera dialogi inscriptio, περὶ ῥητορικῆς· quales titulos multum cavendum est ne ab ipso Platone praepositos putemus. Etenim ut universe a vetustissimorum illorum more et ingenio abhorrebat argumenti quodam indicio libros, quos ederent, insignire, (id

quod nullus fecit poeta, nullus historicus, nec de iis qui ante Socratem fuerunt nisi sophistae fortasse et pauci philosophi), ita putidae recentiorum consuetudini hoc reliquerunt, non ipsorum poetarum mos fuit, ut dramata quae scriberentur (cuius generis ipsi sunt Platonis dialogi) alio quam personae cuiusdam e colloquentibus nomine insignirentur, neque usquam deprehendimus Nubes Aristophanis inscriptas fuisse *de Sophistarum ineptiis.* Sed tamen hoc prae aliis veteres ipsos in Gorgia advertisse videtur, Gorgiam sophistam nobilem eiusque artem irrideri a Socrate. Apud Ciceronem (*) Crassus inducitur, qui quum Athenis philosophos audivisset, qui negassent oratori omnium rerum prudentiam et auctoritatem tribuendam esse, nihilque ei concessissent, nisi ut in iudiciis et in conciunculis apte ad persuadendum diceret, harum disputationum principem et inventorem appellat Platonem, cuius tum cum Charmada diligentius legisset Gorgiam. Vellem diligentissime tractasset: nec dubito quin Charmadas certe senserit primum maiora spectari in illo dialogo, tum ne hoc quidem concedi oratoribus ut in iudiciis dominentur, sed inutilem et perniciosam adeo eorum artem esse. Ne haec quidem diligentia est, sive Crassi, sive Ciceronis, quod additur, Platonem in oratoribus

(*) De Orat. I. 11, 42.

irridendis ipsum oratorem summum videri; quamvis argute dictum est. Nam utitur sane Socrates apud Platonem semel iterumque illa continua oratione, quam μακϱολογίαν appellat, ut ab adversariis adeo δημηγοϱεῖν arguatur: sed facit hoc in longe diversa disputatione cum Callicle, non initio sermonis cum Gorgia et Polo de rhetorica altercans. Aliquanto rectius dicitur (*) *Gorgia patrono apud Platonem succubuisse oratorem philosopho*, sed non satis explicite ut concedendum sit Platonis consilium ab eo perspectum esse. Prudentius qui exponeret id, quod quaerimus, frustra quaesivi apud rhetores et sophistas, et grammaticos, qui tamen de principibus illis eorumque scriptis iudicare solent. Sed accurato studio illarum literarum dici vix potest quantum damnum attulerit eorum institutum, qui ex integris operibus excerpta conficerent; quam pestem mature iam invaluisse ex Quinctiliano (†) intelligere licet, qui de hoc ipso Gorgia Platonis indignatur plerosque pauca a prioribus imperite excerpta legere contentos esse, neque totum volumen evolvere; ipse intra accuratiorem interpretationem consistit qualem rhetoricam probet Plato, reliqua omnia, fortasse consulto, omittens.

Nimirum concedendum hoc esse nostrorum tem-

(*) Cic. De Orat. III. 32, 129. (†) I. O. II. 15, 24.

porum conditioni arbitror, non quidem ut ingenia praestent veteribus illis, sed ut prudentius multo talia indagentur et diiudicentur. Veluti hoc ipsum, quod infinito demum labore nobis constat, illud, quod veteres, quippe in eiusdem sermonis usu et communione nati et educati, nullo negotio assequebantur, haud scio an eiusmodi sit, ut eo et graviora exquirere, et latentiora indagare assuescamus. Quid enim? linguarum dudum extinctarum vel ipsa principia e monumentis saepe mutilis et imperfectis, plerumque corruptissimis petere nos necesse est, vereque arduum est tantum perficere, ut facilem eorum et expeditum usum consequamur. Cuius laboris non taedium, sed cum inquirendi voluptate coniuncta patientia et consuetudo nescio quam maturitatem affert ingeniis, quae ita temperantur ad gravitatem et ad vigorem et ad insuperabilem cupiditatem acrius universa intuendi, quorum singula magno cum studio exhauserint; neque quidquam ex hoc instituto dimittunt ante, quam iterum iterumque explorando penitus insinuaverint in cuiusque scriptoris indolem et consilium. Itaque quum multa genera disputandi et interpretandi nobis cum veteribus communia sint e grammatica, ex historia, ex antiquitate, ex ipsa quoque illa rhetorum disciplina, in qua de singulis scribendi generibus

iudicatur, unam partem illi vacuam nobis reliquerunt ex critico genere, quo cuiusque scripti consilium et voluntas definiantur, conquisitis ponderatisque omnibns rationibns, quibus quodque volumen teneatur. Difficile munus profecto: quod tamen nisi susceperis ac tentaveris, (nam quis perfecte explere in omnibus profitebitur?) mancum et deficiens ipsum sit interpretationis opus necesse est.

Primam igitur illam Socratis cum Gorgia eiusque discipulo Polo altercationem de rhetoricae definitione, deque eius artis natura et usu, facetam qnidem esse apparet, et in qua conspicuum sit Socraticum illud artificium, qui eiusmodi captionibus irretire adversarium soleret, unde se expedire hic non posse fingeretur: vernm si intra hanc concertationem constitisset dialogns, nihil omnino demonstravisse Platonem diceremus, nec nisi ludendi libidinem spectavisse. In eo tamen ipso exordio maioris et gravioris sermonis explicando si quis non nisi Gorgiam irrideri putat, parum recte is mihi videtur de Platone sentire. Utitur hic sane in dialogis Socratis persona, eosque inter se disputantes fingit, qni tum una esse potuerint: sed non tam illa tempora, quam praesentem disciplinarum et opinionum conditionem cogitat, in qua ipse vivebat: itaque sermones illi,

quod in Socrate dicit Alcibiades (*), tamquam aperiendi sunt nobis, neque haerendum in facetiis lusibusque quibus illud involucrum constat. Et in primis Platonis aetate refertae Athenae erant sophistis sive rhetoribus, e principum scilicet illorum Gorgiae Thrasymachi aliorumque disciplina profectis. Horum longe plerique in eo genere eloquentiae tradendo versabantur, quod iudicialibus actionibus componendis destinatum erat, negotio, ut ipsi praedicabant, gravissimo, cuiusque facultate nemo, sine insigni incommodo, carere posset. Atque hoc istorum institutum acriter reprehendit, nec sine contumelia, Isocrates (†), et ipse Platonis aequalis. Multa sunt autem quibus adducar ut credam non tam istis irridendis hanc dialogi partem destinavisse Platonem, quam disciplinae Isocrateae perstringendae. Quam magnifice de se senserit Isocrates, ex tribus orationibus earum, quas superstites habemus, intelligere licet, ex Panathenaico, ex ea adversus Sophistas, et ex Antidosi. Neque enim praedicare dubitat suam esse disciplinam, quam qui sequantur et sapientiores et meliores evadere; artique suae, sive facultati, sive exercitationi philosophiae nomen imponere solet. Nec dubium esse potest quin hunc titulum proscriberet pro-

(*) Plato Sympos. p. 221. E. (†) Panathen. cap. 8 et 10.

pterea, quod ipse quoque antea Socratis auditor et familiaris, huius quoque doctoris institutis ac praeceptis, dicendi arte tradenda, satisfacere se arbitraretur. Sed illa praestantia virtutis, quam unam commendabat, quamque traditurum se profitebatur, sic ab eo describitur, ut intra communem rerum tractandarum prudentiam, et hominum consuetudine utendi facilitatem, et utilitatis divinandae sagacitatem consistat. Atque haec ipsa praemia rhetoricae quum a Socrate in illa cum Gorgia et Polo disputatione mirifice labefactentur nihilique esse ostendantur, nihil video quod aptius dici possit, nisi Isocrati haec opposuisse Platonem. Quid, quod subinde haud obscure tangit Isocrates (*) eos, qui virtutis et temperantiae doctores se profitebantur, quae doceri posse ipse non putabat. Nihilne talia pertinere putabimus ad illud doctrinarum divortium, quo ab oratoribus philosophi dissederunt, quodque describit Cicero in tertio de Oratore libro? (†) Mihi quidem principes huius discidii Plato et Isocrates fuisse videntur: neque suspicionem labefactant ea, quae in Phaedro (§) posuit Plato de Isocrate, loco nobilissimo, sed ubi hic ita laudatur, si non contineat se in illa disciplina, quam tum sequeretur, sed si maiora aggrediatur. Verum

(*) Adv. Sophist. cap. 3, sq. (†) Cap. 19, 69. (§) p. 279. B.

haec omnia, quae non nisi strictim disputare nunc licet, confirmabitis ipsi collatis Isocratis orationibus iis, quas indicavi, cum Platonis Gorgia. Duo premenda non sunt. Primum enim ea rhetoricae definitio, quam a Gorgia editam exagitat Socrates, ipsa fuit Isocratis, qui, ut testatur Quinctilianus (*), ita definiret eam, ut esset *persuadendi opifex*. Alterum hoc est, quod quum Socrates contendit rhetoricam nullam appellari posse artem, et per ludibrium dicit nihil aliud esse, nisi exercitium eius ingenii, quod divinandi quadam facultate et fortitudine valeret, quodque auderet cum hominibus loqui, refert ita ipsa verba Isocratis, quibus hic suam artem in primis commendabat (†).

Haec de exordio Gorgiae. Nam graviora mox excipiunt alia, quorum causa illa non praeparabantur, sed velut in prolusione ponebantur. Quum enim ita laudaretur a Polo rhetorica, ut eius ope quis, quod vellet, obtinere posse diceretur, tum, qui hoc posset, beatum esse, sive ille iure, sive iniuria obtineret, omnem quaestionem in eo versari monet Socrates, ut prius constaret qui beatus, qui minus habendus esset, itaque si sine iustitia nemo beatus esset, et haec ipsa

(*) I. O. II. 15, 4. (†) Plato Gorg. p. 463. A. Isocrat. adv. Sophist. cap. 9. Panathen. cap. 10.

nihil, quod obtineret, haberet, nihil etiam prodesse rhetoricam, nisi forte quis ea uti vellet ad supplicia consequenda si iniuste egisset, itaque ad sui emendationem. Involat in haec tamquam stulta ac delira Callicles, qui turpissima orationis audacia usus hanc sententiam explicat, non esse turpius iniuriam inferre quam accipere, quodque vulgo iustum appellaretur, hominum imbecilliorum conventioni et tamquam conspirationi deberi; natura hoc esse ius, ut quanto quis magis viribus opibusque polleat, tanto magis, quidquid libeat, faciat, tantoque beatior sit; atque haec tum perspecturum Socratem, si philosophari omiserit, quod studium ineptos reddat homines et aliorum ludibria, ideoque miserrimos. Atque sic demum oritur illa controversia, cuius disceptandae causa dialogus compositus esse mihi videtur. Diiudicari enim haec non posse Socrates animadvertit, nisi prius conveniat cui rei opera danda sit in omni aetate, philosophiae, an iis quae vulgo habentur praeclara et illustria, potentia, imperiis, aliis eiusdem generis, verbo, utrum vitae genus potius sit habendum, dicendi in populo et res publicas tractandi institutum, an philosophandi et animi emendandi. In illa contentione, ne singula nunc persequar, hoc luculentissimum, quod necessarium eventum eius vitae generis, cuius Callicles

patrocinium susceperat, pulcherrime exponit. Qui enim, inquit, hoc et turpissimum et summum malum ducit, accipere iniuriam, huic, quo tantam miseriam a se avertat, illud omni ratione agendum est, vel ut ipse imperet in civitate, vel ut eius, qui imperet, sive is tyrannus sit, sive populus, quam simillimus et coniunctissimus sit moribus studiisque; itaque si fuerit ille imperans iniustus, hoc consequetur ut plurimas ipse quoque iniurias inferat, nec earum poenas det; quae summa miseria est. Perperam enim fortunae virtutisque excellentiam poni demonstrat in ea salute capitis et bonorum, quam omnibus opibus artibusque homines in tribunalibus obtinent; contra hanc unam salutem quaeri oportere, quam vitae spatio, quantumcumque nobis concedatur, optime casteque transigendo adipiscamur. Igitur qui vulgo rectores civitatis habeantur, ne eos quidem qui omnium consensu praeclarissimi existimentur, veram rei publicae gerendae rationem inivisse, quippe qui civium cupiditatibus et libidini indulgere soliti fuissent, neque ab iniuria aut ipsi cavere, aut alios avertere studuissent, quo uno censeri bonum civem. Hoc autem institutum qui teneat, fieri posse ut aliorum iniuria petitus succumbat in iudiciis, sed egregie sibi ipsum prospicere in longe graviori iudicio, quod

de mortuorum animis exercerent tres apud inferos iudices, ex quo, qui philosophus in hac vita fuisset, id est et sui animi emendationi consuluisset, nec prava ambitione alienas res tractare studuisset, fore ut in beatorum insulas dimitteretur, ceteri autem poenas daturi essent cupiditatis et libidinis.

Quam brevissime potui et extremis lineis adumbravi gravissimum disputandi argumentum: de quo vel sine mea admonitione sic nunc existimare vos confido, non haec epilogi loco adiecta esse a Platone, sed hunc eventum ab initio spectavisse eum, et huius unius causa totam veluti scenam et cursum sermonis instruxisse. Sed explicandum nunc est quo consilio haec demonstratio suscepta esse videatur. Rhetores ut irrideret? id quod longe plerique volunt. Novum scilicet et inauditum irridendi genus, quod in extremum apud inferos iudicium, et in Tartari terrores exeat. Et satis exagitata ac debellata rhetorica erat in primo cum Gorgia congressu. Sunt alii (*), qui Socratis defendendi ab iniusto iudicio consilium habuisse Platonem existimant. Non nego quidem plurima interponi, quibus optime Socrates apud iudices uti potuisset; sed aut nullus facile dialogus indicari poterit quin eo

(*) Stallbaum. Praefat. Gorg. p. 23.

animo scriptus censeatur, aut in Gorgia necessario ista cum argumenti demonstratione cohaerent, minime autem ipsa erant, quorum causa reliqua componebantur. Mihi sic videtur, idem hoc loco animadvertendum esse, quod temere neglectum dixi in explicanda ipsa illa rhetoricae exagitatione. Se ut defenderet, suumque vitae disciplinaeque institutum Gorgiam scripsit Plato: atque hinc repetendum est illud, in quo uno luculenter elaborando omnes ingenii vires exhausit, ut vitae otiosae et in virtutis indagatione animique emendatione positae praestantiam prae negotiosa illa vita demonstraret eorum, qui agendo dicendoque honores et opes in re publica sperabant, itaque probaret se bonum civem esse et civitati prodesse, illos nec sibi nec civitati vere consulere. Fore autem suspicor quibus haec interpretatio ideo non probetur, quod inanis sit illa defensio, quum nemo eum vituperaret. Ignorare hoc est et temporum illorum conditionem, et indolem Atheniensinm, et paene dicam ipsam naturam ingenii humani. Non attingebat Plato ullam partem rei publicae gerendae; nec dubium esse potest quin propterea in multornm reprehensionem et invidiam incurreret, restituta praesertim per Thrasybulum saevissima illa dominatione populari. Perpetuum fuisse omnino odium erga philosophos

quique eiusmodi disciplinam profiterentur, idoneus testis nobis est Isocrates in Oratione de Permutatione. Tum quam prona esset illa plebs in snspiciones proditae patriae, declarant actiones quas veteres oratores reliquerunt. In urbe mansisse sub triginta viris, non fuisse apud Phylen, rursus abstinuisse a re publica, peregre profectum esse, singula haec non quidem crimini dabantur, sed obiiciebantur tamen in iudiciis, iisque utebantnr adversarii alter ut alteri odium indicum excitaret, aut in publicis explorationibus magna cum cupiditate efferebantur (*). Quid postularetur in bono cive, Demosthenes explicat Aeschini respondens (†): qui gloriatur etiam quodam modo nusquam se nisi in oculis civium vixisse, nullum rei publicae onus detrectasse, civitati et amicis privatum etiam profuisse. In snmma etiam illa post cladem apud Chaeroneam trepidatione, ex Hyperidis psephismate capitale erat si quis patrium solum relinqueret, unde tota causa Leocratea pendet. Neque indocti tantum, sed docti quoque has opiniones probabant: ipsaeque rhetorum et sophistarum scholae adolescentibus ad illam rerum gerendarum facultatem et astutiam informandis destinatae erant. Quid, quod Socratis

(*) Lysias Orat. XVIII. XXV. XXXI. (†) Pro Coron. § 10. et 257. Dissen.

adeo consuetudinem erant qui non alia spe experent, nisi ut disserendi arte adiuti plus valerent in re publica. Quid ex his omnibus conficiendum necessario est? Multitudinis consensu eum demum bonum civem haberi, qui rerum publicarum pro viribus partem gereret, improbum et inutilem, qui secederet et doctrinae studiis totus destinaretur, quem etiam non sibi minus quam patriae pessime consulere. Atque hunc, ut ipsi videbatur, errorem Plato in hoc dialogo et graviter et magna cum libertate sentiendi castigavit, suum vitae institutum defendens (*).

Quid ipse sentiam de hac controversia nunc nihil attinet explicare: suo quisque utatur iudicio, in eoque regendo tum Gorgiam usurpet, tum Tullianum exordium librorum de Republica, aut quidquid quavis aetate a viris doctis de vita otiosà vel sequenda vel fugienda disputatum est. Sed operae pretium est Niebuhrii, magni in primis viri et prudentissimi antiquitatis aestimatoris, rationes explorare, quibus confirmare studuit id, quod ei exciderat, non fuisse bonum civem Platonem (†). Gorgiae sane si meminisset Niebuhrius, non dixisset Platonem, popularis imperii vitia

(*) Similis defensio est in Theaeteto p. 172. C. — 177. B. id quod non latuit Stallbaumium Prolegom. Theaet. p. 19.

(†) Vid. Kleine Schriften. Vol. I. p. 467. et p. 470. sqq.

severe notantem, Athenas cogitavisse: nam in illo dialogo nominatim et populum ipsum, et qui ei praeerant lacerat. Tum de Lysia, libertatis scilicet fautore, tragoedias excitat, quasi Plato coeco studio, propter dissensum in re publica, hunc infeste insectatus esset. Non cogitavit talia in homine inquilino Plato, neque in Lysia quidquam notavit praeter pravum dicendi genus dialecticaeque defectum: mera haec irrisio sophistarum est. Porro, Critiae tyranni, inquit, quocum erat stirpe coniunctus, studiosissimus fuit Plato, neque cum exsulibus Piraeei fuit, sed Megaram profectus ibi maluit inquilini conditione vivere, quam domi civitatem obtinere. Primum dicamus de Piraeeo et de Megara. Non profecto, quibus antiquitatis ignorantiam obiicit Niebuhrius, hoc eos latet, multos bonos non fuisse Piraeei, multos adeo per illud triginta virorum imperium in urbe mansisse: sed multo minus ignorant Platonem cum aliis nonnullis Socraticis Megaram abiisse Euclidis audiendi causa, non patriae deserendae; neque verisimile esse istos, quum breve tempus ibi commoraturi essent, sua omnia collegisse et illuc habitandi causa transmisisse, quale quid qui in animo haberent, inquilini in peregrina civitate conditionem subibant, sicut Philoni obiicitur apud Lysiam (*). De studio erga Critiam

(*) Orat. in Philon. § 9.

quod affirmat vir praestantissimus, vehementer miror. Fingit sane Plato eum, quippe unum e Socratis familiaribus, cum hoc colloquentem in cognomine dialogo, sed eas tribuit ei disputandi partes, quas haud facile cuiquam aptius imponere potuisset, explicandorum institutorum quibus prs ca aetate Attica usa fuisset. In Charmide contra perstringitur ac debellatur a Socrate Critiae definitio temperantiae: in Gorgia sine misericordia tyranni proscinduntur, qui bona civibus et libertatem et vitam eripiant. Hoccine est Critiae partibus favere? Alia omitto: nam hic quoque factum arbitror quod magnis ingeniis haud raro accidisse novimus, ut acumine abutantur in defendendis iis, quae omnium iudicio et sententiae adversantur. Contra scripserat Delbruckius, Platonis patrocinio suscepto, Quid Niebuhrius? respondet, non a se malum civem appellatum esse Platonem, sed non bonum! Non utitur tali calliditate neque tali calumnia vera literarum nostrarum interpretatio, cuius quae sint officia, quamque ea remota sint ab omni tum superstitione, tum cupiditate, alio tempore explicabo.

Tantum intellexistis, non exigua industria nec levi iudicio constare Platonis intelligentiam, sed

dignam esse in qua quis omnes ingenii vires periclitetur, omnemque ponat laboris diligentiam. Hoc laudabili in primis exemplo probavit ille, cuius nomen ex hoc loco et a me memorari, cuiusque memoriam pie riteque aestimata virtute celebrari, tum hanc Academiam decet, unde profectus vicinum Traiectum ornavit, tum eruditionis et elegantiae causa postulat, tum praesens disputatio veluti docendi ornandique complementum requirit. Recens sane adhuc vulnus est, quod accepimus omnes, quotquot in patria nostra vera caritate bonas literas complectimur, ex Heusdii morte. Me quoque ipsum dicerem ingentem fecisse iacturam, orbatum tali amico, cuius ego et auctoritate ad studiorum constantiam sustentabar, et indolis bonitate ad ipsam honestatem diligendam incendebar, nisi praesens hora vestris studiis doctrinae deberetur. Verum neque huic officio deero, nec dolori meo vim inferam si memoravero vobis quo modo integram fere viri optimi ac desideratissimi vitam unus Plato sibi vindicaverit. Sic enim et ipse in suavissima memoria recolenda versabor, et vos perspicietis non magis ex Heusdio Platonem, quam ex Platone Heusdium esse interpretandum.

Memini me adolescentulum ac paene puerum, quum in Wyttenbachii scholas deductus essem,

inflammari iam tunc fama existimationeque qua Heusdius celebrabatur, sed insita quadam timiditate et verecundia retineri quo minus eum adirem, quamvis nomine condiscipulum. Quid factum esse putatis, quum paulo post Specimen Criticum in Platonem prodiret? Ingenti, et ut tunc mihi videbatur insuperabili intervallo distare me ab eo sentiebam, quum ne satis quidem profecissem ut, quae ille praeclare scripsisset, rite capere, nedum aestimare possem. Et in hoc tamen praestanti ingenii doctrinaeque documento, quod minime omnium iuvenilis aetatis excusatione indigebat, inesse postea magis magisque intellexi veram et expressam Heusdiani ingenii voluntatisque imaginem, et explicatum consilium studiorum quae dein perpetuo cursu sequeretur. Minime hoc vulgare est, multumque abest ut dici in omnibus possit qui vel adolescentes, vel maturi scripta sua edunt. Sunt enim qui fortunae temeritate in hanc illamve partem literarum nostrarum quasi coniecti ita adhaereant, ut opus facere videantur, non insitum sequi animi ingeniique impetum, quorumque industria quamvis laudabilis facile modo in hanc, modo in aliam partem genusque studiorum transferri possit. Contra erat in Heusdio, quem neque generosa indoles, neque animi altitudo patiebatur vel fortunae ludibrium esse, vel ita haec studia

tractare quasi quaestum industriae faceret. Admirabili sagacitate emendaverat Platonis orationem, quae in codicibus vetustisque editionibus innumerabilibus locis corrupta erat, atque ita superaverat in hoc genere interpretandi Heindorfium, qui eodem fere tempore selectos Platonis dialogos edere instituebat; itaque vere eorum, qui post secuti sunt, quamvis abundantes doctrina et ingenio, Heusdius dux et antesignanus et erat et a multis habebatur. Neque tamen hoc erat, in quo aut fructum industriae, aut pabulum animi quaereret et voluptatem. Quid ageret, si minus explicuit in Praefatione Speciminis, facile tamen non divinandum sed agnoscendum aliis reliquit. Ipsum Platonem animo complectebatur, eiusque philosophandi rationem. Hanc primum penitus cognosci non posse videbat, nisi exploratis omnibus rationibus, quae cum temporum illorum et opinionum et rerum publicarum et doctrinarum conditione coniunctae essent; cognitam iudicabat non inanis voluptatis ministram esse oportere, nec in reliqua doctrinae tamquam supellectili censeri, sed gravissimarum per eam iacta esse fundamenta doctrinarum, quae Platonis nixae philosophia melius et intelligerentur et ad praesentem nostrorumque hominum usum explicarentur. Huius sententiae demonstrationem per omnem reliquam

vitam cogitabat, eoque referebat cuncta non tantum quae legeret et meditaretur, sed omnem etiam sermonem omnemque disceptandi cum familiaribus opportunitatem. Habebat enim hoc mature animo conceptum, non circnmscribi oportere Platonis cognoscendi studium et fructum intra bibliothecae umbram et recessum, sed ad nullnm non disciplinae hodiernae genus regendum, ad nnllam non vitae partem moderandam proferri. Itaque non despiciebat ille quidem eam operam, quam ipse in Platone emendando posuerat, sed non praecipue, sicnt alii facere solent, hoc interpretandi genus sectabatur. Quid mirum igitur si multorum fefellit exspectationem, qui ab illo praeclaro initio aut integram Platonis editionem, aut unius alteriusque dialogi orituram sperabant: ipsi Wyttenbachio, hortanti subinde et flagitanti ut institutum iter persequeretur, nondum sibi satisfacere se respondebat, et matnritatem quamdam exspectare. Quid vellet, et quid ageret, apparuit aliquot demum annis post desideratissimi doctoris mortem, editis Initiis Philosophiae Platonicae. Hanc ita explicabat, ut omnis liberalis erndítionis et fons et fndamentum esset: idqne descriptione prudenter instituta consequebatnr, collectis et compositis ex omnibus Platonis voluminibus praeceptis et demonstrationibus, quae singulos philosophandi

locos aperirent et constituerent, omissa quidem altercatione eristica, sed designato tamen singularis cuiusque sermonis cursu. Itaque non, quod alii tentaverunt, in artis formam et brevitatem contrahebat philosophi placita, potiusque philosophandi viam et rationem monstrabat, nec tam historica explicatione, quam cuiusque argumenti et peculiari expositione et cum reliquis compositione. Raro in hac opera descendebat ad singularium locorum expositionem aut emendationem: et profecto minus ista desiderabantur in iis, in quibus solis ille mentem defigebat, quaeque ita intimo sensu omnique cogitatione complectebatur, non ut interpretari Platonem, sed eius tamquam afflatu regi, non ut insinuasse in philosophi doctrinam, sed eius captus amore videretur; prout Socrates ludens ad Calliclem dicebat, ea se loqui, quae philosophia vellet, cuius se tamquam amatorem esse (*). Neque tamen nihil erat quod in tam ardenti Platonis studio reprehenderent alii. Quidni enim aperiam vobis quae ipse viro amicissimo coram obiicere solebam? divinam profecto esse Platonis virtutem, nec tamen nostrae convenire simpliciter aetati: alia postulari in hac et ingeniorum eruditione et doctrinarum progressu: iniuria quidem illa volumina ad meram animi

(*) Plato Gorg. p. 481. D. 482. A.

oblectationem reservari, plena quippe efficacissimae rerum gravissimarum disciplinae: verum tamen, qui talia tractet et cognoscat suum manere oportere, neque in aliena auctoritate delitescere corruptum blanditiis venusti ingenii, occoecatumque tralationum audacia aut fabularum quasi temulenta enarratione: plurima inesse in illis dialogis quae pulcherrima se specie commendent, neque tamen eo minus severae dialecticae adversentur: postremo ut dicendi, ita cogitandi elegantiam ita nos venari oportere in veterum scriptis, semper ut eorum virtutes referantur ad quoddam exemplum perfectius, cuius praestantiam animo complecteremur, aut certe suspicaremur; quapropter ita veteres a nobis legendos et explorandos esse, non ut ab iis pendeamus, sed in hodiernarum literarum turba et colluvie et strepitu et tumultu ne corrumpi patiamur mentis tamquam sensus eos, quibus rectum et decorum quid sit cernimus et iudicamus, utque corroboremus veri et intuendi et agnoscendi insitam a natura facultatem, itaque emendemus vitiatum multitudinis consensu et auctoritate quod a natura haberemus bonum: postremo in hoc potissimum imitandum esse Platonem, quod neque Socrati se totum addixit, neque cuiquam de reliquis omnibus quos summos audiverat doctores, sed nova, in qua ver-

saretur, opinionum conditione bene perspecta, suo ingenio indulsit, eaque condidit, quae universa nemini uni deberet.

Talia quum disputabam, verecunde tamen faciebam et prope invitus. Neque enim non diligere quisquam poterat Heusdium, qui recti honestique amans esset, neque non admirari acerrimum illud, quo Platonem complexus erat, studium, qui quid esset veterum praestantissimos quosque intelligere recte perspiceret. Frustra profecto quamvis incredibilis doctrina aut excellens industria conferetur in haec studia, nisi simul accedat quaedam sentiendi similitudo, quae arctius nos cum illorum ingeniis coniungat, quorum monumenta interpretari velimus. Hanc castitatem afferebat Heusdius, non magis in studiorum instituto, quam per omnes vitae rationes, in omni sermone, in ipso ore et vultu conspicuam. Cuius viri et iacturam aegerrime fert patria nostra, et memoriam, in tam raro bonorum proventu, pie tuebuntur quotquot optimarum artium ipsiusque humanitatis amantes sunt.

II.

De aemulatione Platonem inter et Isocratem.

Quod in priori schola suspicabar magis quam demonstrabam, discidium illud, quo a philosophis segregati essent oratores, ex aemulatione ortum esse, aut certe initium habuisse ex aemulatione quae fuisset inter Platonem et Isocratem, hoc nunc pressius inquirendum est. Non satis est enim tenere aequales eos fuisse, quum septem tantum annis Platone maior fuerit Isocrates, nec diversam utrumque secutum esse philosophandi rationem et disciplinam instituisse, quarum alterutram tum adolescentes sequerentur. Conquirenda sunt ex utriusque scriptis ea, ex quibus necessario con-

ficiatur alterum alterius doctrinam moremque aut exagitasse, aut certe tecte obtrectasse: nam factum esse hoc sine eo, ut appellaretur is quem quisque tangeret, tribuendum est utriusque mori et instituto librorum. Omittam autem controversiam de tempore, quo quisque Platonis dialogus scriptus esse videatur, quippe quae disputatio ut in multis anceps est et obscura, ita in aliis perquam otiosa mihi esse videtur. De Isocratis libris minor dubitatio est. Nobis autem nunc quidem satis est tenere utrumque pleraque sua edidisse post Socratis mortem, tum ne cogitari quidem posse ut alter alterius scripta plane ignoraverit. Ceterum non prorsus novam esse hanc Isocratis cum Platone collationem novi; suntque nonnulla quae tum H. Wolfius, tum nostra aetate Heindorfius et novissime Dobreus in Adversariis animadverterunt. Operaene pretium fecerim hac quaestione de industria exploranda, iudicent viri docti.

Totum illud discidium versabatur potissimum in interpretanda eruditione, quae vera esset, quaeque deceret et hominem et civem in re publica; igitur in definiendis studiis quibus adolescentes imbui oporteret, quaeque viri quoque sequerentur. De ipsa virtute idem sentiebat uterque; et luculentum est concordiae exemplum, ubi uterque

iustitiae patrocinium suscipit. Isocrates De Pace p. 165. C. Stephan. εἰς τοῦτο γάρ τινες ἀνοίας ἐληλύθασιν, ὥσθ' ὑπειλήφασι τὴν μὲν ἀδικίαν ἐπονείδιςον μὲν εἶναι, κερδαλέαν δὲ καὶ πρὸς τὸν βίον τὸν καθ' ἡμέραν συμφέρουσαν, τὴν δὲ δικαιοσύνην εὐδόκιμον μὲν, ἀλυσιτελῆ δὲ καὶ μᾶλλον δυναμένην τοὺς ἄλλους ὠφελεῖν ἢ τοὺς ἔχοντας αὐτὴν, κακῶς εἰδότες ὡς οὔτε πρὸς χρηματισμὸν οὔτε πρὸς δόξαν οὔτε πρὸς ἃ δεῖ πράττειν οὐδ' ὅλως πρὸς εὐδαιμονίαν οὐδὲν ἂν συμβάλοιτο τηλικαύτην δύναμιν ὅσην περ ἀρετὴ καὶ τὰ μέρη ταύτης κ. τ. λ. Quae quis non agnoscit conspirare cum nobili Platonis disputatione tum alibi, tum in Gorgia, tum utrumque ex Socratis disciplina pendere.

Sed ipsam philosophandi rationem, quae Platonis erat, ab Isocrate acerbe perstringi, complures docent loci ex orationibus quas superstites habemus. Veluti quum Panathen. p. 238. B. praeter geometriam et astrologiam memorat quoque τοὺς διαλόγους τοὺς ἐριστικοὺς, οἷς οἱ μὲν νεώτεροι μᾶλλον χαίρουσι τοῦ δέοντος, τῶν δὲ πρεσβυτέρων οὐδεὶς ἔστιν ὅστις ἂν ἀνεκτοὺς αὐτοὺς εἶναι φήσειεν, — praecipuamque harum disciplinarum utilitatem in eo positam esse censet quod adolescentes a multis vitiis et flagitiis abstineant; τοῖς δὲ πρεσβυτέροις, inquit, καὶ τοῖς εἰς ἄνδρας δεδοκιμα-

ομένοις οὐκέτι φημὶ τὰς μελέτας ταύτας ἁρμόττειν; quippe ex quibus ad communis vitae negotia inepti fiant; non alia est haec sententia praeter eam, quam Callicli tribuit Plato in Gorgia p. 484. C. φιλοσοφία γάρ τοί ἐστιν, ὦ Σώκρατες, χαρίεν, ἄν τις αὐτοῦ μετρίως ἅψηται ἐν τῇ ἡλικίᾳ· ἐὰν δὲ περαιτέρω τοῦ δέοντος ἐνδιατρίψῃ, διαφθορὰ τῶν ἀνθρώπων. κ. τ. λ. (conf. ibid. p. 487. C. D. Republ. VI. p. 487. D.) quamque valide Socrates refutat. Hanc igitur a Platone profectam gravem animadversionem excitavit sine dubio alius quoque locus Isocratis Antidos. § 280. sqq. Bekk. ubi copiose et eleganter sententia explicatur quo loco habenda sint illa studia, quae geometriae, astrologiae et ἐριστικοῖς λόγοις tribuuntur; non esse hanc philosophiam appellandam, sed γυμνασίαν τῆς ψυχῆς καὶ παρασκευὴν φιλοσοφίας, eius nempe, qualem ipse intelligeret, quae rebus gerendis idoneos reddat homines.

Scilicet haec praecipua contentio inter utrumque fuisse videtur de philosophiae appellatione, quibus studiis conveniret. Quem Plato multis locis ὡς ἀληθῶς φιλόσοφον appellet, notum est. Sed huic graviter et saepe adversatur Isocrates, quum verbi causa vocabulorum abusum notans haec quoque castigat, Antidos. § 304. Bekk., quod τοὺς τῶν μὲν ἀναγκαίων ἀμελοῦντας, τὰς δὲ τῶν

παλαιῶν σοφιστῶν τερατολογίας ἀγαπῶντας φιλοσοφεῖν φασιν, ἀμελήσαντες τοὺς τὰ τοιαῦτα μανθάνοντας καὶ μελετῶντας ἐξ ὧν καὶ τὸν ἴδιον οἶκον καὶ τὰ κοινὰ τὰ τῆς πόλεως καλῶς διοικήσουσιν, ὧνπερ ἕνεκα καὶ πονητέον καὶ φιλοσοφητέον καὶ πάντα πρακτέον ἐστίν (*). Nobilis, qui his opponatur, locus est Platonis in Theaeteto p. 173. D., quum verum philosophum ita describit, ut numquam forum attingat, ut ubi tribunal aut curia aut commune civitatis sit ignoret, ut leges et psephismata neque viderit neque audiverit, ut quid cuique bene maleve acciderit lateat eum, omnino ut corpus tantum eius in civitate, totus autem ipse sit in quaerenda rerum natura.

Crebro porro carpit Isocrates eristicos, τοὺς περὶ τὰς ἔριδας καλινδουμένους, aliisque modis significans: quales quum diu ante fuissent Megarici, et eius ingenii, quale describitur apud Platonem Theaet. p. 167. E. conf. Sophist. p. 216. B., non tamen istos, sed ipsum Platonem eiusque disciplinam et dialogos praesentes praesenti obversatos esse Isocrati, istoque contumelioso nomine notari vix dubitare licet. Non minus contumeliosum nomen erat τερατολογιῶν, loco supra a me

(*) In quo loco primum ἀμελήσαντες per errorem ortum est ex praeced. ἀμελοῦντας, id quod vidit Dobreus quoque Advers. I. 1. p. 278: sed praeterea, negatione inserta, legendum οὐ τοὺς τὰ τοιαῦτα. —

apposito usurpatum, quemadmodum τερατολογίαν Platoni obiicit Athenaeus V. p. 215. F.

Sed quod omitti in hac consideratione minime oportet, hoc est, quod totam fere vitam Isocrates ita scribendis orationibus destinavit, ut inde plurimum emolumenti ad patriae totiusque Graeciae salutem redundaturum speraret, Plato contra exiguum in scribendo praesidium esse demonstrat ad homines erudiendos, qui sic in Phaedro p. 275. C. οὐκοῦν ὁ τέχνην οἰόμενος ἐν γράμμασι καταλιπεῖν καὶ αὖ ὁ παραδεχόμενος, ὥς τι σαφὲς καὶ βέβαιον ἐκ γραμμάτων ἐσόμενον, πολλῆς ἂν εὐηθείας γέμοι καὶ τῷ ὄντι τὴν Ἄμμωνος μαντείαν ἀγνοοῖ, πλέον τι οἰόμενος εἶναι λόγους γεγραμμένους τοῦ τὸν εἰδότα ὑπομνῆσαι περὶ ὧν ἂν ᾖ τὰ γεγραμμένα· et deinceps γραφὴν hoc habere commune cum ζωγραφίᾳ dicit, quod oratio scripta speciem tantum habet virtutis, δόξαις μὲν ἂν ὥς τι φρονοῦντας αὐτοὺς (τοὺς λόγους) λέγειν, ἐὰν δέ τι ἔρῃ τῶν λεγομένων βουλόμενος μαθεῖν, ἕν τι σημαίνει μόνον ταὐτὸν ἀεί. Sequentia, quamquam in eamdem sententiam, describo ut levi opera restituam sententiae continuationem: ὅταν τε (non δὲ) ἅπαξ γραφῇ, κυλινδεῖται μὲν πανταχοῦ πᾶς λόγος ὁμοίως παρὰ τοῖς ἐπαΐουσιν, ὡς δ' αὔτως παρ' οἷς οὐδὲν προςήκει, καὶ οὐκ ἐπίσταται λέγειν οἷς δεῖ γε καὶ μή. πλημμελούμενος δὲ κ. τ. λ., quae respondent praecedentibus

κυλινδεῖται μέν, nec erant colo separanda a superioribus.

Videamus porro de singulis quibusdam Platonis locis. Primum dicamus de Euthydemo, qui quum eo potissimum consilio compositus sit, ut discernatur Socratica disputandi ratio ab eristicis, credibile est ita responderi Isocrati, qui saepe una eristicorum appellatione philosophos, et in primis, ut mihi videtur, Platonem exagitabat: conf. Helenae Encom. init. Sed in fine eius dialogi, p. 304. D usque ad p. 306. D, a Platone Isocratem intelligi affirmarunt alii, alii alium, alii neminem, certe universum tantum genus rhetorum: conf. Stallbaum. Disput. de Euthyd. Plat. p. 47. sq., qui Lysiam ex hac suspicione recte exclusit, rationibus ex eius ingenio petitis, iure, ut mihi videtur: recte quoque repudiatur aliorum opinio, qui vel Thrasymachum, vel Theodorum cogitandum esse putabant; addo, quod in similibus quaestionibus minime negligendum esse arbitror, fingi quidem hos sermones haberi inter Socraticae aetatis aequales, sed pertinuisse non ad illorum castigationem, verum ad refutandos coërcendosque eos, quibuscum Plato ipse viveret, quorum placita et opiniones grassari animadverteret. Quod autem ipse Stallbaumius conatur defendere, totam cohortem eorum notari a Platone qui orationes scriberent, ita verum esse

concedendum est, ut tamem unum praecipue cogitasse dicendus sit. Si certus aliquis, inquit Stallbaumius, illorum temporum rhetor significaretur, dubium non est quin Plato ingenium eius et mores aliquanto accuratius fuisset adumbraturus. Sed quî facere hoc licuisset in eo sermone, qui fingitur diu ante habitus esse? Amplector igitur Heindorfii opinionem, Dobreo quoque probatam Adversar. I. p. 263, Isocratem cogitari a Platone. Quibus hoc argumentis demonstaverit Schleiermacherus, (nam ipse Heindorfius fere nullo utitur) ignoro; mea nunc exponam. In Lyceo quidem quod fingitur haberi sermo ille, qui Euthydemi nomine inscribitur, nihil sane per se continet quod Isocrati oppositum esse quis existimet; et tamen operae pretium est animadvertere ab ipso Isocrate notari tres aut quatuor *τῶν ἀγελαίων σοφιστῶν καὶ πάντα φασκόντων εἰδέναι*, qui in ipsum invecti essent, sedentes in Lyceo paullo ante Panathenaea maiora, dixissentque eum omnia omnesque *παιδείας* contemnere praeter suam *διατριβήν*· Panathen. p. 236. D. Sed propius attingere Isocratem haec videntur a Platone posita. Nam Criton, in illo dialogo, narrat ad se, quum ab Euthydemo et Dionysodoro discederet, accessisse aliquem *ἄνδρα οἰόμενον πάνυ εἶναι σοφόν, τούτων τινὰ τῶν περὶ τοὺς λόγους τοὺς εἰς τὰ*

δικαστήρια δεινῶν, qui per ironiam castigans ipsum, quod illam disputationem deseruisset, quaerenti quid auditurus fuisset, respondisset, τί δὲ ἄλλο, ἢ οἷάπερ ἀεὶ ἄν τις τῶν τοιούτων ἀκοῦσαι ληρούντων καὶ περὶ οὐδενὸς ἀξίων ἀναξίαν σπουδὴν ποιουμένων, additque his ipsis eum verbis usum esse: Euthyd. p. 304. D. E. Non abstinuisse ab huiusmodi reprehendendi acerbitate Isocratem apparet ex Panathen. p. 235. B. in., quum dicit se ad philosophandum et ad scribendum contulisse se, neque tamen de minutis rebus, aut de privatis contractibus, οὐδὲ περὶ ὧν ἄλλοι τινὲς ληροῦσιν· indeque ipsum illud ortum esse videtur, quod sibi obiici narrat, dicere eum πάντας ληρεῖν praeter eos qui suam disciplinam secuti essent: ibid. p. 237. A. conf. Antidos. § 288. Bekk. Quaeque porro apud Platonem oratori isti tribuuntur, ut invehatur in eristicos, οἷς οὐδὲν μέλει ὅ τι ἂν λέγωσι, παντὸς δὲ ῥήματος ἀντέχονται, p. 305. A in primis conveniunt perpetuae apud Isocratem eristicorum reprehensioni. Quaerenti deinceps Socrati, utrius generis esset ille homo, πότερον τῶν ἀγωνίσασθαι δεινῶν ἐν τοῖς δικαστηρίοις, ῥήτωρ τις, ἢ τῶν τοὺς τοιούτους εἰσπεμπόντων, ποιητὴς τῶν λόγων οἷς οἱ ῥήτορες ἀγωνίζονται; Respondet Criton: ἥκιστα νὴ τὸν Δία ῥήτωρ· οὐδ᾽ οἶμαι πώποτ᾽ αὐτὸν ἐπὶ δικαστήριον ἀναβεβη-

κεναι, ἀλλ' ἐπαΐειν αὐτὸν φασι περὶ τοῦ πράγματος νὴ τὸν Δία καὶ δεινὸν εἶναι καὶ δεινοὺς λόγους συντιθέναι. Equidem de quo oratore τῶν πάνυ σοφοὶ οἰομένων εἶναι hoc tradatur, ut numquam fere causam ipse dixerit, praeter Isocratem, plane nescio: in Lysiam certe aliumve sophistam, propter civilem conditionem, minus hoc cadit. Excipit Critonem Socrates, deque toto illo hominum genere suam exponit sententiam: οὗτοι γάρ εἰσι μὲν οὓς ἔφη Πρόδικος μεθόρια φιλοσόφου τε ἀνδρὸς καὶ πολιτικοῦ· et porro eleganter persequitur hoc ipsum, qui inter duo genera versarentur plerumque utroque deteriores esse, itaque istos quoque non primos, quod sperarent, sed tertios esse: tum ad finem ea subiicit e quibus apparet, etiamsi contemserit Isocratem Plato, tamen non infesto in eum animo esse; πάντα γὰρ ἄνδρα χρὴ ἀγαπᾶν, ὅςτις καὶ ὁτιοῦν λέγει ἐχόμενον φρονήσεως πρᾶγμα καὶ ἀνδρείως ἐπεξιὼν διαπονεῖται· p. 306. C. In Menone p. 91. A., ubi describit Plato Sophistarum disciplinam, σοφίας πέρι καὶ ἀρετῆς, ᾗ οἱ ἄνθρωποι τάς τε οἰκίας καὶ τὰς πόλεις καλῶς διοικοῦσι, καὶ τοὺς γονέας τοὺς αὐτῶν θεραπεύουσι, καὶ πολίτας καὶ ξένους ὑποδέξασθαί τε καὶ ἀποπέμψαι ἐπίστανται ἀξίως ἀνδρὸς ἀγαθοῦ, nihil excogitari potest quod propius ad Isocrateam rationem et sententiam accedat. Similia tetigit

Plato Gorg. p. 520. E. Protag. p. 318. E., quae opposita sunt tum aliis Isocrateis, tum illis Antidos. § 304. Bekk. quem locum supra apposui.

In Phaedro p. 267. A. Tisiam ridet et Gorgiam (quos quidem magistros dicendi habuerat Isocrates) quod τὰ σμικρὰ μεγάλα καὶ τὰ μεγάλα σμικρὰ φαίνεσθαι ποιοῦσι διὰ ῥώμην λόγου, καινά τε ἀρχαίως τά τ' ἐναντία καινῶς κ. τ. λ., quae, quod non fugit Heindorfium, plane referunt Isocratis verba Panegyr. p. 42. C.

In eodem dialogo nominatim quidem perstringitur Lysias, sed plura insunt, in quibus manifesto videtur Plato cogitavisse Isocratem, quum ipsius Lysiae convincendi causa, quippe mortui iam, minime conscriptus dialogus sit, sed eius artificii arguendi, quo plurimum utebatur Isocrates. Igitur, ut unum commemorem exemplum, haec verba, p. 278. D, οὐκοῦν αὖ τὸν μὴ ἔχοντα τιμιώτερα ὧν συνέθηκεν ἢ ἔγραψεν ἄνω κάτω στρέφων ἐν χρόνῳ, πρὸς ἄλληλα κολλῶν τε καὶ ἀφαιρῶν, ἐν δίκῃ που ποιητὴν ἢ λόγων συγγραφέα ἢ νομογράφον προσερεῖς, si consideramus, de Lysia quidem non item ut de Isocrate constabat eum diu in componenda elaborandaque oratione et struenda haerere solitum fuisse; itaque de tribus illis appellationibus, λόγων συγγραφεὺς certe referendum erit ad Isocratem, Lysias supra non hoc

nomine, sed *λογογράφου*, diversa significatione, notatus fuerat: ipse Isocrates illud *συγγραφεὺς τῶν λόγων* usurpat Antidos. p. 317. C. Diuturnam illam Isocratis in componenda oratione operam Lysimachus quoque accusasse videtur: vid. Antidos. p. 313. A.

In Gorgia plura sunt, quae Isocratis reprehensionem attingant; sed nihil illustrius quam hoc, quod quum rhetoricam definit Socrates, p. 463. A. dicit, *δοκεῖ τοίνυν μοι εἶναί τι ἐπιτήδευμα τεχνικὸν μὲν οὔ, ψυχῆς δὲ στοχαστικῆς καὶ ἀνδρείας καὶ φύσει δεινῆς προσομιλεῖν τοῖς ἀνθρώποις.* Sunt enim haec ipsa Isocratis verba Adv. Sophist. p. 294. D., ubi, ipsum bene dicendi munus describens, quod constaret delectu et ordine et decoro, et sententiarum verborumque ornamentis et numerosa conclusione, *ταῦτα δέ*, inquit, *πολλῆς ἐπιμελείας δεῖσθαι καὶ ψυχῆς ἀνδρικῆς καὶ δοξαστικῆς ἔργον εἶναι κ. τ. λ.*

Notabile hoc quoque est, quod Isocrates Antidos. p. 319. B. instituit quamdam enumerationem, quae genera sint scribendi, id est, secundum ipsum, eruditionis, quam tamen, ut solet, *τῶν λόγων* appellatione indicat. *Τρόποι τῶν λόγων*, inquit, *εἰσὶν οὐκ ἐλάττους ἢ τῶν μετὰ μέτρου ποιημάτων·* alii inquirunt in genera semideorum, alii circa poetas *ἐφιλοσόφησαν*, alii res in bellis

gestas colligere studuerunt, alii περὶ τὰς ἐρωτήσεις καὶ τὰς ἀποκρίσεις γεγόνασιν, ἀντιλογικοί· sed innumerabiles sunt αἱ ἰδέαι τῶν λόγων, in quibus unum genus est λόγων Ἑλληνικῶν καὶ πολιτικῶν καὶ πανηγυρικῶν, et hanc suam vel δύναμιν, vel φιλοσοφίαν, vel διατριβὴν appellat, p. 320. B. Sed hoc ipsum est, quod exagitat Plato in Gorgia p. 449. E. quum Sophista respondet, suam ἐπιστήμην versari περὶ λόγους. Gravissimum autem indicium contentionis inter Isocratem et Platonem deprehenditur in eodem Gorgia p. 464. B., ubi Socrates explicat duas in diversis rebus, animo et corpore, artes, quarum altera sit πολιτική, altera γυμναστικὴ et ἰατρική, ceteraque quae fluxerant ex illa eius sententia, quum dixerat rhetoricam non esse artem, sed κολακείαν. Tota autem illa festiva disputatio opposita mihi videtur Isocrati, qui Antidos. § 193. Bekk. ita suae disciplinae rationem de industria explicat: βούλομαι δὲ περὶ τῆς τῶν λόγων παιδείας ὥσπερ οἱ γενεαλογοῦντες πρῶτον διελθεῖν πρὸς ὑμᾶς. Ὁμολογεῖται μὲν γὰρ τὴν φύσιν ἡμῶν ἔκ τε τοῦ σώματος συγκεῖσθαι καὶ τῆς ψυχῆς· αὐτοῖν δὲ τούτοιν οὐδεὶς ἐστιν ὅστις οὐκ ἂν φήσειεν ἡγεμονικωτέραν πεφυκέναι τὴν ψυχὴν κ. τ. λ. — οὕτω δὲ τούτων ἐχόντων — εὕροντες διττὰς ἐπιμελείας κατέλιπον ἡμῖν, περὶ μὲν τὰ σώματα τὴν παιδοτριβικήν, ἧς ἡ γυμναστικὴ μέρος

ἐστὶ, περὶ δὲ τὰς ψυχὰς τὴν φιλοσοφίαν — ἀντιστρόφους καὶ σύζυγας καὶ σφίσιν αὐταῖς ὁμολογουμένας κ. τ. λ. Quos locos qui inter se confert, quis non videt sua ita accommodavisse Platonem Isocrateis, ut idem duplicis artis inventum tenens longe tamen diversum exitum haberet demonstratio, quantum ad rhetoricam attinebat. Nec fugit haec collatio Dobreum Adversar. I. p. 278. Et omnis reliqua Isocratis disputatio, qua demonstrat ad res gerendas aptiores reddi, qui sua disciplina uterentur, et hoc esse praecipue spectandum iis qui iuventutem docerent, provocavit, ut arbitror, contrariam Platonis disputationem in Gorgia. Sic accipienda est apud Isocratem *σοφοῦ* et *φιλοσόφου* definitio, Antidos. § 293. Bekk., ut ea referantur ad *τὸ ταῖς δόξαις ἐπιτυγχάνειν·* eodemque pertinet hoc, quod nullam disciplinam esse putat, quae virtutem aut iustitiam *τοῖς κακῶς πεφυκόσι ἐνεργάσαιτ᾽ ἄν·* sed cuiusque emendationem sic effici posse, *εἰ πρός τε τὸ λέγειν εὖ φιλοτίμως διατεθεῖεν, καὶ τοῦ πείθειν δύνασθαι τοὺς ἀκούοντας ἐρασθεῖεν·* talemque vim esse huius bene dicendi exercitationis porro demonstrat, *ὥστε, ἅμα τῷ λέγειν εὖ* (sic leg. pro *τὸ λέγειν*) *καὶ τὸ φρονεῖν παραγενήσεται τοῖς φιλοσόφως καὶ φιλοτίμως* (*)

(*) Sic excluditur suspicio Dobrei in Philipp. p. 104. C. vid. Adversar. I. p. 268.

πρὸς τοὺς λόγους διακειμένοις· Antidos. § 293. sqq. Bekk. Quodque dein explicat, huius exercitationis hunc quoque finem esse, δόξαν ὡς ἐπιεικεστάτην λαβεῖν παρὰ τοῖς συμπολιτευομένοις, ipsumque hoc, τὸ δοκεῖν εἶναι καλὸν κἀγαθὸν, in primis fidem conciliare orationi, perstringitur a Platone in Euthydemo p. 305. C., οἴονται δ' εἶναι πάντων σοφώτατοι ἀνθρώπων, πρὸς δὲ τῷ εἶναι καὶ δοκεῖν πάνυ παρὰ πολλοῖς κ. τ. λ. Et quo modo istic Plato tangere Isocratem videtur, eodem modo τοὺς περὶ τὰς ἔριδας σπουδάζοντας perstringit Isocrates Antidos. § 276, quum dicit istos sperare, ἢν τοὺς λόγους διαβάλλωσι, τοὺς αὑτῶν ἐντιμοτέρους ποιήσειν. Conf. Dobreus l. c. p. 278, qui praeterea nobile dogma apud Platonem in Gorgia, melius esse iniuriam accipere quam facere, tangi putat ab Isocrate Panathen. p. 257. A.

Sunt haec, opinor, ita sibi invicem opposita, ut, quum eadem aetate edita esse constet, vix dubitari possit quin alter alterius sententias vellicare voluerit. Neque enim praeter Isocratem quemquam illis temporibus fuisse suspicor, qui tam diserte et tam destinato consilio alteram sententiam explicuerit aut propugnaverit; id quod propter perpetuum disserendi colorem concedi oportet: neque Plato tam acerbe in castigandis traducendisque illis opinionibus versatus esset, nisi eas

ipse praesens commendari fidenterque demonstrari videret ab eo, cuius magna esset auctoritas apud multos.

Haud inepte praeterea Heindorfius ad illum Platonis Euthyd. locum excitavit haec Isocratis verba Philipp. p. 84. E. ubi perstringit *τοὺς νόμους καὶ τὰς πολιτείας τὰς ὑπὸ τῶν σοφιστῶν γεγραμμένας.* Utrum vero intellexerit Heindorfius significari ab Isocrate maiores illos Platonis dialogos, non diserte profitetur. Poterat sane per aetatem Platonem cogitare Isocrates, siquidem *Πολιτεία* certe edita est Ol. circ. C, ista autem oratio, quae Philippi nomine inscribitur, Ol. CVIII. 3.: attamen possunt etiam aliorum Sophistarum cogitari leges, quas alius alius civitatis rogatu scripserit, tum Critiae *πολιτεῖαι*, de quibus videatur Bachius.

Quaesitum nuper est de tempore, quo scriptum esset ab Isocrate Helenae Encomium. De quo periculo, sive potius de qua praeceptione nunc quidem nondum explicabo quid sentiam: sed quae in principio leguntur, ubi tanguntur *οἱ διεξιόντες ὡς ἀνδρία καὶ σοφία καὶ δικαιοσύνη ταὐτόν ἐστι, καὶ φύσει μὲν οὐδὲν αὐτῶν ἔχομεν, μία δ' ἐπιστήμη καθ' ἁπάντων ἐστίν*, mihi certe videntur pertinere ad disputationem in Platonis Protagora expositam, cuius dialogi operae pretium est conferre et alia

multa, et p. 361. neque enim absolvitur tota illa controversia, utrum doceri possit virtus nec ne. Atqui probabiliter disputat Stallbaumius Protagoram pertinere ad Ol. LXXXX. 3. itaque si post Protagoram editum scriptum sit Encomium Helenae, tamen ad priores ab Isocrate editos libros pertinebit, sed ita, ut iam tum coeperit in Sophistas, qui sua aetate prodirent, i. e. maxime in Platonem invehi. Quid enim? In eiusdem Encomii exordio non tantum Protagoram et Gorgiam et Zenonem et Melissum carpit, sed indignatur quod post illos ἔτι περὶ τὸν τόπον τοῦτον διατρίβουσι· quibus nulla alia nisi Platonis disciplina significatur.

Suspicatus sum posse harum rerum considerationem fortasse usurpari ad eius quaestionis investigationem, quae adhuc virorum doctorum dubitationibus et dissensionibus agitatur. Alios dialogos Platonis non attingam; sed Phaedrum tamen et Gorgiam ex hac, opinor, cum Isocrate contentione quodammodo accuratius definire licebit, quo tempore scripti sint. Iterum autem hoc ponendum arbitror, verisimile non videri Platonem non nisi aut de Lysia cogitavisse, aut de Gorgia et Callicle: contra aequum est ut dicamus eum his, qui iam extincti essent, traducendis, notare voluisse eam sententiam, quae inter aequales ab

eo defendi nosset, qui multum fama et auctoritate et disciplina valeret, quem nullum alium cogitari posse praeter Isocratem, cuius libri editi in magna omnium admiratione essent. Quod igitur supra dixi, tecte in Phaedro exagitari mihi videri lentam et diuturnam operam, quam in componendis poliendisque orationibus ponere soleret Isocrates, ea certe ad Panegyrici reprehensionem optime pertinebunt. Edita autem est Panegyricus Ol. LXXXXIX. 4., quum, ut fertur, decem annos in hoc opere perficiendo consumsisset. Itaque Phaedrus eodem circiter tempore conscriptus videtur, non a iuvene Platone, ut Heusdius aliique statuerunt, sed quum is iam sextum et trigesimum ageret annum. Qua opportunitate dicendum etiam de ea Isocratis oratione, quae *Adversus Sophistas* inscribitur, quam video a Clintono referri ad Ol. LXXXXIV. 1., nescio quo argumento. Nam quod in Antidos. 206. Bekk. dicit de sese orator, se orationem illam edidisse ὅτ' ἤρχετο περὶ ταύτην εἶναι τὴν πραγματείαν, non ita accipiendum est quasi nullam aliam ante orationem scripsisset, sed initium indicatur mutati consilii, quum, relicto instituto iudicialium orationum scribendarum, totus se disciplinae, quam dein professus est, traderet, susciperetque suam philosophiam libris scriptis commendare. Itaque haud

multum ante Panegyricum illam orationem editam esse snspicor, recentemque fuisse illam oratoriae facultatis descriptionem (ibid. p. 294. C. D.) quam a Platone in Gorgia traductam esse supra ostendi. Rursus, si vera sunt ea quae disputavi, in Gorgia Platonis corrigi et refutari illam artium distributionem, qnam in Antidos. posuisset Isocrates, necesse esset Gorgiam post illam orationem editum esse. Sed quum Antidosin scriptam esse constet Ol. CVI. 3., nec verisimile sit Gorgiae scriptionem in hanc postremam vitae Platonis partem abiiciendum esse, credibile est eamdem sententiam positam fuisse in oratione adv. Sophistas, cuius hodie non nisi particulam habemus, indeque excerptam exstare in Antidosi.

Non ignoro totam hanc disputationem vel suspicionibus tantum, vel non nisi levissimis niti indiciis, unde conficiendum mihi videatur contentionem quamdam exstitisse Platonem inter et Isocratem. Neqne tamen non complura mihi reperisse videor, quibus illam suspicionem firmem. Tantum constat de Platone eum ex itineribus Athenas rediisse, ibique docere coepisse Ol. LXXXXVIII. init. Sed eodem tempore modo iuventutis eruditionem susceperat Isocrates: praeter hunc multi sane erant alii, tum sophistae qui appellabantur, tum politici oratores, qui omnes mercede

docerent; sed nemo tanta scholae celebritate discipulorumque numero, quanto Isocrates. Quodque caput erat, quum reliqui intra artium fere claustra et ineptias consisterent, quasi ex hoc fonte omnis oratoria virtus derivanda esset, aut iudicialium actionum componendarum artificium prae se ferrent, itaque rerum gerendarum auctores adiutoresque haberi vellent, Isocrates suam disciplinam bene dicendi quum argumentorum delectu rerumque tractandarum gravitate, tum animi ingeniique emolumento commendabat, postremo hanc ipsam virtutem ad patriae totiusque Graeciae salutem conferri demonstrabat; ita ut, quamvis multos nancisceretur obtrectatores, clarum in primis eius nomen evaderet. In tantam viri famam quum Plato incurreret, statim ei hunc opposuisse puto illos dialogos, qui vitae regendae sententiam explicarent, Phaedrum dico et Gorgiam: quumque in Phaedro mentionem Isocratis faceret, qui ingenio certe et animi altitudine multum superaret Lysiam, posuit illa verba, *φύσει ἔνεστί τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρὸς διανοίᾳ*, i. e. discendi studium et quaerendi facultas, qua si ad maiora uteretur cunctos superaturus esset qui in scribendo versarentur. Sed ipsa illa conditio (nam, ut recte monet Cicero Orat. 13, 41. *scribit ista de seniore Plato, et scribit aequa-*

lis) mirifice temperat eas, quas tribuit laudes. superare reliquos ingenio dicitur Isocrates, sed satis perspicue significatur non tenere eum illud iter, in quo veram bene dicendi et omnino eruditionis laudem explicare posset, itaque non vere philosophum esse, qua una appellatione Plato omnia complectebatur. Alia multa supra indicavi; sed ne hoc quidem negligendum est, praeclarissimis laudibus, quibus in Antidosi § 246. sqq. ornavit Isocrates veteres oratores et demagogos, similibusque quae ante, ut videtur, in eodem genere disputavit, de industria oppositam esse acerbam reprehensionem, quam in Gorgia p. 517. sqq. posuit Plato: neque enim Astio (De Platonis Vita et Scriptis p. 135.) concedendum esse puto, qui istam acerbitatem ita interpretatur, ut librum ipsum scriptum esse dicat quum Socrates in ius vocatus et damnatus esset. Quidquid sit, non temere mihi statuere videor, quum non tantum aequales fuerint Isocrates et Plato, sed eodem etiam tempore in eademque urbe tum iuventutis disciplinam susceperint, tum eamdem scriptis editis explicuerint, quumque utriusque et ratio et sententia tam longe ab altero distaret, necessario discidii mutuaeque reprehensionis indicia in horum libris exstare oportere.

III.

Quaestiones Isocrateae.

§ 1.

Quaeritur de Theramene et de Archino: tum de Panegyrico.

Duo scriptores nobis reliquerunt brevia commentaria de vita Isocratis, quorum alter est Plutarchus qui dicitur, alter is, quem Andr. Mustoxydes ex Codd. Laurentianis edidit: quamquam tertius addi poterit Photius Cod. CCLX. Et in Photio quidem mirum accidit, quod in Cod. CLIX. Isocratis orationes tantum unam et viginti se legisse memorat, qui numerus hodieque servatur; contra istic φέρονται αὐτοῦ λόγοι ἑξήκοντα dicit, (plane ut apud Plutarchum) quarum Dionysius

veras iudicat viginti quinque, Caecilius viginti octo. In ipso Photio leviter turbatum esse suspicor: ὧν ἐκρίθησαν γνήσιοι κατὰ μὲν Διονύσιον ἐπὶ τοῖς ἑ κ'· corrigendum — Διονύσιον ἑ ἐπὶ τοῖς κ'. Sed haec ex alio fonte hausit. Nam non omnes illas sexaginta orationes legisse Photium, etiamsi non tam diserte supra minorem illum numerum posuisset, coniicere liceret ex proxime antecedentibus in Cod. CCLX, ἀνεγνώσθησαν Ἰσοκράτους λόγοι διάφοροι. Quartus accedit Suidas V. Ἰσοκ. apud quem haec leguntur: δίκας οὐκ εἶπεν, ἐδίδαξε δὲ πλείστους, καὶ λόγους γέγραφε λβ'· tum in fine adiicit, οἱ δὲ λόγοι αὐτοῦ πλεῖστοι. Haec postrema vere dicuntur: contra, scripsisse eum duas et triginta orationes, nec potuit affirmare, nec nunc quidem voluit ullum numerum definire: non nisi haec tradit, *causas eum non oravisse, sed plurimos docuisse, et orationes scripsisse*, quas scilicet non pronunciaret, sed ederet tantum: ita vitae institutum declaratur Isocratis, numerus orationum huc non pertinebat: quapropter istud λβ' delendum esse puto. Defendant hanc suspicionem qui velint, vel inde quod βιώσας sequitur, vel aliis rationibus palaeographicis, quas excogitare facilius est quam persuadere; dummodo ratio vincat, cuiuscumque numeri definitionem ab isto loco alienam esse.

Videamus de iis, quos Isocrates audivisse traditur. Plutarchus memorat Prodicum, Gorgiam, Tisiam et Theramenem, eosdemque Photius Cod. CCLX. Sed Anonymus ex edit. Mustoxydis haec habet: *μαθητὴς δὲ ἐγένετο φιλοσόφου μὲν Σωκράτους, ῥήτορος δὲ Θηραμένους τοῦ μαθητοῦ Γοργίου· ὁ δὲ Γοργίας μαθητὴς Τισίου τοῦ καὶ κοθόρνου.* Sanam sententiam restituere conatus est Dindorfius, parenthesi inclusis verbis *τοῦ μαθητοῦ* usque ad *Τισίου·* sed hoc praesidium vel negligentissimus scriptor, qualis iste Anonymus est, repudiabit, quippe alio loco rite aliorum doctorum mentionem iniiciens, quibus usus esse diceretur Isocrates, p. X. 31. Dindorf.: *ἤκουσε δὲ κατά τινας καὶ Προδίκου τοῦ Κίου* (l. *Κείου*) *καὶ Γοργίου τοῦ Λεοντίνου.* Coniicimus hinc scriptori non nimis polito nec diligenti istam tamen ineptam traditionem adhaesisse ex scioli ineptioris etiam annotatione. De reliquis Isocratis doctoribus nil attinet quaerere. Sed quo iure tum Theramenes, tum Archinus (cuius nomen, pro corrupto *'Εργῖνον*, in Suida restituit Ruhnkenius Hist. Crit. Or. Gr. p. XLII.) in iis numerentur, quaeri potest. De neutro constat disciplinam quamdam habuisse adolescentibus: nec levia sunt argumenta quibus conficiatur contrarium. Demagogi erant et politici oratores, qui, quod de illis temporibus omnino

affirmat Phaedrus apud Platonem p. 257. D. αἰσχύνονται λόγους τε γράφειν καὶ καταλείπειν συγγράμματα ἑαυτῶν, δόξαν φοβούμενοι τοῦ ἔπειτα χρόνου, μὴ σοφισταὶ καλῶνται. Itaque iure quis statuat eos abstinuisse quoque a disciplina iuventutis. Theramenes quidem si iuventutem erudivisset, obiici hoc ei oportuisset a Critia apud Xenophontem Hellen. II, 3. Et fuerat praeterea Theramenes perpetuo in rebus gerendis et in imperiis militaribus occupatus; itaque sedulo eum ab Antiphontis vitae instituto discernit Thucydides VIII, 68. Ne apud Isocratem quidem ullam huiusmodi disciplinae, quae esse soleret ipsorum demagogorum, mentionem reperio, multumque ab his diversi sunt, verbi causa, οἱ τοὺς πολιτικοὺς λόγους ὑπισχνούμενοι, qui mercedula artem tradebant, et orationes scribebant, sicut enunciat Adv. Sophist. p. 292. D. Eadem valent de Archino, Thrasybuli in restituenda libertate socio consiliorum: quamquam ne certissima quidem est illa Ruhnkenii correctio. Et de Theramene recte iudicavit idem l. c. p. XL. sq., declamationes illas, quae ei apud Suidam tribuuntur, convenire potius alii Therameni sophistae, qui diu post floruit. De Archino ne hoc quidem traditur, quod de Theramene, eum operam dedisse Prodico. Nec tamen intercedo quo minus audiverit Isocrates

utrumque, modo sic intelligatur, sicut de Demosthene traditur eum audivisse Callistratum, i. e. huius in primis dicendi splendore ad eiusdem laudis studium excitatum esse (Plutarch. Vit. X. orat. p. 844. B;) de disciplina perquam nego: totaque illa narratio de Theramene ad mortem adducto, cui opitulari voluerit Isocrates, tum varie ornatur apud Plutarchum et apud Anonymum, tum orta esse potest ex confusione nominum, quum similia narrentur de Socrate apud Diodorum Sic. XIV, 5. Accedit, quod non uno loco de se narrat Isocrates numquam se istiusmodi iudiciis aut publicis negotiis adfuisse, sicut Antidos. p. 318. A. Plena porro sunt ea, quae narrantur, ineptiarum; ut apud Plutarchum, quum ad Vestae aram confugisset Theramenes, solum Isocratem surrexisse qui opem ferret ei: atqui apud Xenophontem Hellen. II, 3. fin. res sic narratur, ut primum ἐν τῷ βουλευτηρίῳ facta esse dicatur, tum curiam cinctam fuisse a praesidiariis Spartanis et ab adolescentibus ἐγχειρίδια ἔχουσι, in quibus sane non fuit Isocrates timidus praesertim et ἀπράγμων. Apud Anonymum res ita narratur, quasi Theramenes suam διδασκαλίαν Isocrati commendasset, quae interitura esset si secum perire mallet: καὶ οὕτω πεισθεὶς ἀπελθὼν ἐδίδασκεν. Talibus nugis delectetur qui velit:

mihi eiusmodi esse videntur, quas nemo serio curare debeat.

Iam sicut Theramenis illud apud alios Socrati affingitur, Archini quoque mentio, quasi doctor fuisset Isocratis, inde orta esse potest, quod nonnulla ex eius Epitaphio in Panegyricum translulisse Isocrates narratur: qua de re veterum loca indicavit Westermannus in libro De Histor. Graec. Eloquent. § 45. not. 6. Sed Platonis Menexenum p. 234. B. (*οἶμαι μέντοι Ἀρχῖνον ἢ Δίωνα αἱρεθήσεσθαι*) concedi nullo modo potest, id quod contendit Westermannus, ut Dionysius Halic. male intellexerit, quasi Archini exstitisset *Ἐπιτάφιος*. Quid enim Dionysius? De Admir. Vi Demosth. Cap. 23. sic de Platone: *τὸν ἐπιτάφιον διεξέρχεται λόγον, ὡς μὲν ἐμοὶ δοκεῖ, Θουκυδίδην παραμιμούμενος, ὡς δ' αὐτός φησιν, Ἀρχῖνον καὶ Δίωνα.* Nam illa imitatio Dionysio ita certe intelligebatur, ut, quod aut Archinus aut Dion facturus esset, recitaret orationem quae partim subito, partim ex considerato composita esset: si vere putavisset Platonem ex alio, quam ex Thucydide, profecisse se significare, cuius scripta oratio exstaret, non dixisset *Ἀρχῖνον καὶ Δίωνα*· siquidem alter tantum, non uterque isto anno orator designatus fuerit necesse est: sed hoc voluit Dionysius, Platonem significare se illorum

oratorum imitari expeditam excogitandi facultatem: nam quis sanus umquam hoc Platoni tribuat, non ut imitetur quempiam, sed ut profiteatur se imitari scriptam et editam cuiusquam orationem?

Sed, ut ex aliis alia nectamus, hoc quoque quaeramus, utrum recte Dionysio visus sit Plato Thucydidem imitari. Acceperunt hoc alii fortasse, quos nunc ignoro, sed certe Stallbaumius, qui in Praefat. ad Menexenum dicat, voluisse Platonem suam orationem quam simillimam esse Thucydideae. Sed quis non agnoscit eiusmodi ἐπιτάφιον exhibere voluisse Platonem, quae esset Pericleae quodam modo imago, i. e. eius, quae numquam scripta aut edita fuit? Similem imaginem confecit Thucydides, ea, ut verisimile est, suo more colligens et enuncians, quae traditione et memoria multorum servata essent. Igiturne censebimus post illum praeclarissimum conatum novum quid fingere voluisse Platonem, quod praesertim omnium intelligentium iudicio conferri nulla ex parte cum Thucydide mereretur? Non tam stolidum fuisse Platonem puto, nec dicturum se demum fragmenta Pericleae orationis edere. Omnino ne vidisse quidem Platonem Thucydidis libros suspicor. Scriptum sane esse oportet Menexenum post Ol. LXXXXVIII. 2. Thucydidesque

diem obiit circ. Ol. LXXXXIV. 1. sed relictis historiarum libris non absolutis nec perfectis, multo minus editis. Horum librorum quae fuerint fata difficile dictu est; sed minime negligenda est eius famae auctoritas quam cognovimus ex Diogene Laertio II, 57. Xenophontem, quum premere eos libros posset, εἰς δόξαν ἀγαγεῖν· itaque ad hunc delatos fuisse iure opinatur Dodwellus Appar. ad Ann. Thucyd. § XXX. Quo tempore a Xenophonte editi sint, controversia est. Minime contemnenda est eorum opinio, qui contendunt editos esse a Xenophonte simul cum duobus prioribus Hellenicorum libris; quod quo minus factum esse mihi videatur statim post Thucydidis obitum, sicut Letronnius vir praestantissimus putat (*), paulo post dicam. Alteram quaestionem, utrum duo illi priores libri a reliquis quinque Hellenicorum separandi sint, nunc non attingam. Hoc autem difficile est probare in acutissima illa Niebuhrii disputatione (†), tum ante pugnam apud Cnidum (Ol. LXXXXVI. 3) Athenis fuisse Xenophontem, tum eo tempore illam Thucydideae historiae continuationem ibi edidisse. Neque hoc fugisse suspicor Kruegerum De Xenoph. Vit. p. 22. not., ex cuius accuratissima de Xenophontis exsilio dis-

(*) Biographie Univers. T. LI. p. 373. sqq. (†) Kleine Histor. Schrift. p. 467.

putatione satis constare puto, hunc non ante Ol. CII. 2. ab exsilio in patriam rediisse: conf. Anabas. VII, 7, 57. Ipsa autem historiae Thucydideae editio cur multis demum annis post Thucydidis mortem facta videatur, plura sunt quae mihi quidem persuadeant. Hellenica certe Xenophontem extremo vitae tempore edidisse, demonstravit Kruegerus l. c. p. 28. Sed Hellenica, inquit Niebuhrius, non nisi quinque postremis libris continentur quos senex scripsisse videtur; contra ipsam historiae Thucydideae continuationem multo ante scriptam fuisse necesse est: id quod conficit ex postremis verbis libri II[di], ubi memorata lege oblivionis, addit, ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ γε πολιτεύονται, καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος· nam sic scribere non potuisse Xenophontem postquam multorum annorum decursu, multisque aliarum rerum vicissitudinibus, istius pacti vis et virtus ipsa obsoluisset. Sed perperam ista refert Niebuhrius, opinor, ad actiones et iudicia, quae hoc populi iureiurando excludebantur, in eos qui aliquid sub XXX viris aut antea commisissent. Primum enim diu etiam post restitutam concordiam, propter sycophantarum libidinem ac levitatem, necesse fuit ad istius iurisiurandi religionem provocare; cuius rei idoneum exemplum apponam ex Lysiae Orat. XVIII. pro Bonis Eucrat:

§ 19. *καί τοι πλείων συγγνώμη μνησικακεῖν νεωστὶ κατεληλυθόσιν ἔτι τῆς ὀργῆς οὔσης προσφάτου, ἢ τοσούτῳ χρόνῳ ὕστερον ἐπὶ τιμωρίαν τῶν παρεληλυθότων τραπέσθαι κ. τ. λ.* Dicta antem putatur ea causa octo fere annis post restitutam democratiam. Sed praeterea nihil aliud illo loco Xenophon mihi videtur significare, nisi hoc, nullas postea civium discordias fuisse de imperio, sed legibus inde ab Euclide ratis constanter Athenienses usos esse, eaque rei publicae temperatione, quae tum constituta fuisset, itaque tunc *τὴν Ἀθήνησι στάσιν τελευτῆσαι*, sicut initio libri III[tii] dicit. Igitur tantnm abest ut necessario ista brevi post exsulum reditum scripserit Xenophon, ut potius putidum esse putem *ἔτι καὶ νῦν* dici in exigno temporis intervallo, qua formula utuntur historici in earum quoque rerum continnatione significanda, quae diu etiam ante ipsornm aetatem constitutae fuerint: conf. Xenoph. Cyropaed. I, 2. fin.

Reliqua Niebuhrii argumenta explorare nunc quidem praeter meum institutum est, et fecerunt, credo, viri doctissimi Peter et Volckmarus, quorum commentationes tamen nondum perlustrare potui. Sed deficientibus disertis testimoniis hoc ex veterum ingenio et more scribendi coniicere conceditur, historiae scriptionem non ab adolescente susceptam esse, sed, in Thucydidis prae-

sertim imitandi studio, ab eo qui et rerum usu et diligenti auditione eorum quae gesta essent, quamdam maturitatem consecutus esse sibi videretur. Desideret quis in Xenophontea *συγγραφῇ* gravitatem illam et perfectionem quam in Thucydide admiramur; ingeniorum haec disparitas est, non consilii aut industriae. Itaque minus cadere mihi videtur tanti operis susceptio in eam vitae Xenophontis partem, quae itineribus militaribusque officiis districta fuit, quam in otium illud, quo diu post exsul usus est. Nec temere factum mihi esse videtur, (quamquam hoc levius est) quod Dionysius Halic. Epist. ad Pomp. cap. 4. (T. VI. p. 41.), historica scripta Xenophontis recensens, ultimo loco memorat Hellenica his verbis: *καὶ τρίτην ἔτι τὴν Ἑλληνικὴν, καὶ ἣν κατέλιπεν ἀτελῆ Θουκυδίδης, ἐν ᾗ καταλύονταί τε οἱ τριάκοντα, καὶ τὰ τείχη τῶν Ἀθηναίων, ἃ Λακεδαιμόνιοι καθεῖλον, αὖθις ἀνίστανται.* Sed istorum prius in secundo libro, posterius in quarto cap. 8. § 9. sq. Hellenicorum narratur. Itaque necessario unius eiusdemque operis omnes septem libros habuisse Dionysium existimandum est: recteque puto (nam diligenter explorare nondum potui) a Volckmaro demoustratum est, locum istum minime pertinere ad commendandam Niebuhrii suspicionem.

Haec mihi quidem tanti momenti esse videntur, ut mirifice firmari putem suspicionem hanc, Thucydideam orationem funebrem neque lectam, neque cognitam fuisse Platoni, quum Menexenum scriberet. Neque contrarium mihi persuadet Spengelius Artt. Scriptt. p. 146. sq., in cuius disputatione hoc miror, quod, postquam Thucydidem, ut necessarium exemplum, quod secutus esset Plato, posuisset, tum subiicit, in animo hunc habuisse orationem sive Alcidamantis, sive Archini, sive alius. Ne Isocrati quidem, quum Panegyricum elaboraret, visa fuit illa oratio: et sic potius liberandus Isocrates furti suspicione, quam quo modo fecit Photius Cod. CCLX. p. 487. b. fin. Bekk., etiamsi decem annis post mortem Thucydidis edita fuerit Isocratis oratio. Ne in illo quidem loco Panegyrici, ubi dicit (p. 55. fin.) de laudibus civitatis Athenarum, *ὅτι χαλεπόν ἐστι ὕστατον ἐπελθόντα λέγειν περὶ πραγμάτων πάλαι προκατειλημμένων καὶ περὶ ὧν οἱ μάλιστα δυνηθέντες τῶν πολιτῶν εἰπεῖν ἐπὶ τοῖς δημοσίᾳ θαπτομένοις πολλάκις εἰρήκασιν*, — consentaneum est ut cogitemus de cuiusquam edita oratione funebri; quem morem publici funeris perstringere videtur De Pace p. 176. med. Contra vix negari poterit Isocratem quum de aliis, tum de Thucydide cogitasse quum diu post in Panathenaico init. commemoraret *τοὺς*

τὰς παλαιὰς πράξεις καὶ τοὺς πολέμους τοὺς Ἑλληνικοὺς ἐξηγουμένους — δικαίως — ἐπαινουμένους. Iudicium certe de indole civitatis Athenarum, et quo genere libertatis uteretur, et esse aristocratiam, plane convenit tum cum Pericle apud Thucydidem II, 37. tum cum illa in Menexeno oratione p. 238. C. Contra in eodem Panathenaico p. 282. § 258. (τὰ μυθώδη — ἃ πάντες θρυλοῦσιν) Lysiae Epitaphium tangere videtur; si tamen Epitaphius Lysiae est, de quo, post diligentem Dobrei disputationem, vix dubitandum, quin supposititium opus sit.

§ 2.

Quaeritur de causis quas egerit Isocrates, et de actionibus quas composuerit.

Abstinuisse traditur Isocrates ab iudiciis et ab omni publico certamine, vitio deterritus vocis et insita quadam timiditate, tum quod bona paterna amisisset in bello adversus Lacedaemonios: Plutarchus vit. Isocr. p. 137. A., qui haec addit: *ἄλλοις δὴ μεμελετηκὼς φαίνεται, ἕνα δὲ μόνον εἰπὼν λόγον τὸν περὶ ἀντιδόσεως.* Eamdem orationem Antidos. scriptam ab eo memorat Plutarchus secundo et octogesimo aetatis anno, ibid. F; tum postremo subiungit, eum τρὶς προβληθῆναι τριη-

ραρχον, καίτοι δὶς μὲν ἀσθένειαν σκηψάμενος δια τοῦ παιδὸς παρῃτήσατο, τὸ δὲ τρίτον ἀναστὰς ἀνήλωσεν οὐκ ὀλίγα· p. 838. A. Anonymus Vit. Isocr. p. IX. 10. Dind. similia tradit, scripsisse eum λόγους πανηγυρικοὺς καὶ συμβουλευτικούς· τῶν γὰρ δικανικῶν ἀπείχετο πλεονάκις· quae postrema intelligi oportere de ipsis iudiciis, a quibus abstinuerit Isocrates, sequentia declarant, in quibus eadem vocis et animi excusatio memoratur. Rursus idem scriptor p. XI. 30., τοὺς δὲ δικανικοὺς αὐτοῦ λόγους, καὶ οὐς ἔδει ἐν πλήθει λέγειν, λέγεται ὡς ἢ δι' ἄλλων ἐπεδείκνυτο, ἢ δι' ἑαυτοῦ ὀλίγους. Conspirant cum horum plerisque ea quae Photius habet p. 486. b. ἕνα μόνον τὸν τῆς ἀντιδόσεως λόγον εἰπὼν ἀπέστη τῆς τοιαύτης προαιρέσεως· tum p. 487. b. δὶς μὲν ἀσθένειαν σκηψάμενος διὰ τοῦ παιδὸς παρῃτήσατο (τὴν τριηραρχίαν), τὸ δὲ τρίτον ἀναστὰς ἀνήλωσεν οὐκ ὀλίγα· postremo ibid. inferius, δύο δὲ ἐν ἅπαντι τῷ βίῳ συνέστησαν αὐτῷ ἀγῶνες, πρότερος μὲν εἰς ἀντίδοσιν, προκαλεσαμένου αὐτὸν Μεγακλείδου, πρὸς ὃν οὐκ ἀπήντησε διὰ νόσον, τὸν δὲ θετὸν υἱὸν ἀνθ' αὑτοῦ προβαλλόμενος Ἀφαρέα ἐνίκησε· δεύτερος δὲ Λυσιμάχου προκαλεσαμένου αὐτὸν περὶ τριηραρχίας εἰς ἀντίδοσιν, ἐν ᾧ καὶ ἡττηθεὶς τὴν τριηραρχίαν ὑπέστη. In his omnibus multa turbari nemo non videt; sed emendanda et in ordinem cogenda sunt ex ipso Isocrate. Sic

oratio Antidoseos non pronunciata ab Isocrate, sed scripta tantum fuit, ut ex ipso principio intelligitur, scriptaque postquam in ea causa damnatus erat, cf. p. 311. B: quumque natum esse se dicat duo et octoginta annos (§ 10.), apparet quam stulte illi, *εἰπόντα τοῦτον τὸν λόγον*, tum eum a dicendo *ἀποστῆναι* narrent. De re publica capessenda, id est de oratoris munere, ipse dicit haec, Philipp. p. 98. C. *ἐγὼ πρὸς μὲν τὸ πολιτεύεσθαι πάντων ἀφυέστατος ἐγενόμην τῶν πολιτῶν*, quod neque *φωνὴν ἱκανὴν*, neque *τόλμαν* haberem: conf. Panathen. p. 234. D. Quaeritur autem an umquam iudicia ipse attigerit. In Antidos. p. 315. C., causatus suam *ἀπειρίαν τῶν τοιούτων ἀγώνων*, ita se vixisse dicit, ut nullius umquam vel arbitri, vel iudicis sententia de se pronunciata fuerit, ipseque controversias inter amicos dirimi maluerit. Rursus in eadem oratione § 154. dicit de se, *μήτε δεδικασμένος μηδενὶ μήτε πεφευγὼς πλὴν περὶ ἀντιδόσεως, μήθ' ἑτέροις συνηγωνισμένος μήτε μεμαρτυρηκώς, μήτ' ἄλλο πεποιηκὼς μηδὲν ἐν οἷς ἅπαντες οἱ πολιτευόμενοι τυγχάνουσιν.* Manet igitur hoc, non ante in iudicio ipsum Isocratem versatum esse, quam anno aetatis secundo et octogesimo hanc antidoseos actionem a Lysimacho institutam repelleret: conf. ibid. p. 315. D: tum, quas ante illud tempus gesserit

trierarchias, sine controversia functum esse, ut apparet ex his verbis eiusdem orationis § 155: *εἰς τοὺς διακοσίους καὶ χιλίους τοὺς εἰςφέροντας καὶ λειτουργοῦντας* (*) *οὐ μόνον αὐτὸν παρέχεις, ἀλλὰ καὶ τὸν υἱὸν, καὶ τρὶς μὲν ἤδη τετριηραρχήκατε, τὰς δὲ ἄλλας λειτουργίας πολυτελέστερον λελειτουργήκατε καὶ κάλλιον ὧν οἱ νόμοι προστάττουσι.* Hisce in primis infirmatur illud, quod apud Photium traditur, de altero illo Antidoseos certamine, in quo Megaclidem vicerit. Si enim victor ex illo certamine discessit, non gessit sane trierarchiam, neque ea numerari poterit in iis, quae modo ab amico quodam in laude dicta de ipso apposui. Sed meliora docet nos Dionysius Halicarnassensis, qui in Iudicio de Isocrate cap. 18. (T. V. p. 301. Tauchn.) commemorat Aphareum *ἐν τῷ πρὸς Μεγακλείδην περὶ τῆς ἀντιδόσεως λόγῳ*. cum quo testimonio concilianda videntur postrema Photii verba, in quibus dicitur Isocrates bis deprecatus esse trierarchiam per filium, tum Megaclidi non ipse respondisse, propter morbum, sed filium substituisse, itaque vicisse in iudicio. Morbi tamen (aut *ἀσθενείας*, ut est apud Plutarchum) excusa-

(*) Animadvertit hunc locum Boeckhius Oecon. Civ. Athen. II. p. 64. sq.: neque tamen sic explicandus esse mihi videtur, quasi unum collegium mille ducentorum et *εἰσφορὰς* et *λειτουργίας* sustinuisset.

tione non usus videtur Isocrates ut ipse a dicendo abstineret, a quo quippe perpetua illa consuetudine retinebatur; sed puto hanc excusationem valuisse ad deprecandam trierarchiam, eoque pertinere id, quod Demosthenes Symmor. p. 182. 14. memorat, necessario excusari τοὺς ἀδυνάτους, quos Boeckhius Oecon. Civ. Athen. II. p. 83. non recte, ut arbitror, interpretatur eos esse, qui fortuna trierarchia exciderint: ipse enim orator paullo post dicit, sic distribuendas esse symmorias, ἀνταναπληροῦντας πρὸς τὸν εὐπορώτατον ἀεὶ τοὺς ἀπορωτάτους, qui postremi quomodo intelligi possunt, si ante iam excusati sint ii, qui bonis exciderunt? Contra Isocratem puto in trierarchiae munere, quod personis (σώμασι), non bonis imponebatur, uti potuisse ἀσθενείας excusatione: et tamen apparet eum alias plus praestitisse, quam quantum ab eo postulari potuerit, quum filium adoptivum sibi substitueret: hoc enim, ut extraordinarium, praedicatur in illis verbis, quae modo ex Antidos. apposui: sed in certamine cum Megaclide certe depulisse omnino a se onus videtur (*).

Videamus de aliis quoque, quae in vita Isocratis quaeri possunt; veluti, an actiones composue-

(*) Schoemannus quoque Lit. Att. IV. p. 707. sic accipit, ut Aphareus patris causam defenderit. Exemplis, quae ab eo excitantur, addi potest Isocratis oratio adv. Euthynum.

rit, quibus alii in iudiciis uterentur. Et iudiciales quidem orationes composuisse, affirmat Anonymus, verbis supra excitatis, ita ut alias per alios exhiberet (ἐπεδείκνυτο), paucas autem ipse. Vetus autem est controversia; siquidem Dionysius Halic. De Isocr. cap. 18. (Vol. V. p. 576. R. cuius loci initio certe scribendum erit; μηδεὶς δ' ἀγνοεῖν μ' ὑπολάβῃ) tum ex Apharei oratione memorat, quo is affirmat nullam a patre suo orationem iudicialem scriptam esse, tum ex Aristotele, quum dicit multos fasciculos orationum iudicialium Isocratearum a bibliopolis circumferri; sed neutri se fidem habere addit; nam Aristotelem ista dixisse quo contaminaret Isocratis famam, Aphareum autem fingere, ut haberet quod speciose diceret: Cephisodorum autem Isocratis auditorem studiosissimum, qui contra Aristotelem scripsit, affirmare γεγράφθαι λόγους τινὰς ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς εἰς δικαστήρια, οὐ μέντοι πολλούς. Rursus ipse Isocrates, in Panathen. princ., negat se, quum adolescens esset, scripsisse orationes, οὓς οἱ δεινοὶ περὶ τοὺς ἀγῶνας παραινοῦσι τοῖς νεωτέροις μελετᾷν, εἴπερ βούλονται πλέον ἔχειν τῶν ἀντιδίκων· et ibid. p. 235. a, οὐ περὶ τῶν ἰδίων συμβολαίων scripsisse se dicit: et in principio Antidos. de industria disciplinam, quae sit circa δικογραφίαν, ipsumque λέγειν καὶ γράφειν περὶ ἰδίων συμβολαίων reiicit a sese: in eademque

oratione p. 318. c. tum πόῤῥω τῶν πραγματειῶν εἶναι τῶν περὶ τὰ συμβόλαια γιγνομένων affirmat, tum opponit se iis, qui παρασκευάζουσι τοὺς λόγους τοῖς ἐν τοῖς δικαςηρίοις ἀγωνιζομένοις. Difficile est tam disertam auctoritatem ipsius Isocratis repudiare: nec minus notabile est, quod perstringuntur ab eo, in fine Panegyrici, ii qui πρὸς τὴν παρακαταθήκην καὶ περὶ τῶν ἄλλων φλυαροῦσι γράφοντες. Etenim in Trapezitico eiusmodi causa tractatur, quae ad παρακαταθήκην pertinet: et tamen fieri potest, ut, quum fortasse primam aetatem ingressus eiusmodi orationibus scribendis operam dedisset, mox, mutato scribendi instituto, gravioris eruditionis διατριβὴν instituerit, tantoque facilius illarum orationum memoriam obscurari putaverit, quod non ab ipso editae essent, quas tamen alii, propter praestantem dicendi vim et elegantiam, facile agnoverunt, et auctori vindicarunt. Pertinet huc locus insigniter corruptus Ciceronis in Bruto 12, 48: *nam Lysiam primo profiteri solitum artem esse dicendi; deinde, quod Theodorus esset in arte subtilior, in orationibus autem ieiunior, orationes eum scribere aliis coepisse, artem removisse: similiter Isocratem primo artem dicendi esse negavisse, scribere autem aliis solitum orationes, quibus in iudiciis uterentur,*

sed cum ex eo, quia quasi committeret contra legem, quo quis iudicio circumveniretur, saepe ipse in iudicium vocaretur, orationes aliis destitisse scribere totumque se ad artes componendas transtulisse. Non explorabo nunc haec Tulliana, in quibus vix quidquam sanum est, ne iter disputationis interrumpam; nisi quod tenemus hoc, Ciceronem sequi Cephisodori auctoritatem de orationibus iudicialibus ab Isocrate scriptis; tum videri has ipsas, si quae circumferrentur, minus dignas ab eo habitas esse quas de industria exploraret, si quidem, ubicumque Isocratem laudat, (et facit saepissime,) non nisi in epidictico genere orationis praedicat eius facultatem et ingenium. Aristotelis ipsum t stimonium, quo utitur Dionysius, intercidisse videtur: sed eamdem auctoritatem fere praestabit alius locus (Rhetor. I, 9, 38), ubi morem quemdam, quem in laudationibus usurparet Isocrates, commemorans, haec addit, ὅπερ Ἰσοκράτης ἐποίει διὰ τὴν συνήθειαν τοῦ δικολογεῖν.

Sed maioris multo momenti alia controversia est, utrum Isocrates artem rhetoricam c scripserit. Ne in hac quidem uti licet Tulliani loci in Bruto auctoritate, ipsius quippe nondum sanati neque ad perspicuam intelligentiam revocati. Videamus alia. Anonymus Vit. Isocr.

p. XII. Dind. haec habet: λέγεται δὲ ὡς ὅτι καὶ τέχνην ῥητορικὴν ἔγραψε, τῷ δὲ χρόνῳ ἔτυχεν αὐτὴν ἀπολέσαι (f. ἀπολέσθαι). Ἐρεῖ δέ τις, καὶ πόθεν δῆλον ὅτι τοῦτο οὕτως ἔχει; Λέγομεν ὡς ὅτι Ἀριστοτέλης ὁ φιλόσοφος συναγαγὼν τέχνας ῥητορικὰς, ἐμνήσθη καὶ ταύτης. Photius p. 486. b: γεγραφέναι δὲ αὐτὸν καὶ τέχνην ῥητορικὴν λέγουσιν, ἣν καὶ ἡμεῖς ἴσμεν τοῦ ἀνδρὸς ἐπιγραφομένην τῷ ὀνόματι· οἱ δὲ συνασκήσει μᾶλλον ἢ τέχνῃ χρήσασθαι κατὰ τοὺς λόγους τὸν ἄνδρα φασί. Plutarchus p. 837. A: καὶ ἐκείνου (Θηραμένους) τινὰς οὔσας τέχνας αὐτῷ φασὶ συμπραγματεύσασθαι, ἡνίκα ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἐσυκοφαντεῖτο, αἳ εἰσιν ἐπιγεγραμμέναι Βότωνος· quae tamen verba Theramenis potius τέχνας, quam Isocratis indicare videntur (*). Sed ne Scholia quidem in Aphthon. Progymn. omittenda sunt, edita in Fragmentis de Arte Rhetorica, a Spengelio in fine libri qui inscribitur Συναγωγὴ τεχνῶν, p. 126, ubi Isocrates numeratur in iis, qui ἔγραψαν τέχνην. Sed **illis testimoniis consideratis, qui pronunciaret vere ab Isocrate artem fuisse compositam, temere facturum opinor. Antiquiora si quaerimus, praesto**

(*) Ipsius *Βότωνος* nominis aliam auctoritatem ignorare se fatetur Karstenius Xenophan. p. 12: nec tamen, quod affirmat Westermannus ad Plutarchum, ab hoc intelligi illum praeceptorem Xenophanis credibile est.

est Cicero, qui ipsius Isocratis quam constet esse artem, se non invenire dicit Invent. II, 2, 7; contra discipulorum eius multa praecepta reperiri. Et tamen noverat is Aristotelis illum librum, in quo collegerat omnium superiorum artes (cf. Orat. II, 38, 160. Brut. 12, 46.) itaque, si vera sint quae de eo memorat Anonymus (supra appositus), statuere licet Ciceronem non acquievisse in illa mentione artis Isocrateae, haud iniuria fortasse; siquidem ex aliis etiam indiciis suspicari possumus Aristotelem, invidia ductum, nonnulla Isocrati affinxisse, aut certe in maius auxisse. Neque in Ep. 9. § 23. I. ad Div., quum *Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam* appellat, necesse est ipsius Isocratis artem intelligi a Cicerone: nam pertinere ista possunt ad utriusque disciplinam dicendi per discipulos propagatam. Erit fortasse, qui in Oratore 51, 172 artem tamen Isocratis, aut certe praecepta significari putet. Sed hanc auctoritatem non tam ab Isocrate repeti puto, quam ab eius discipulis, Ephoro et Naucrate: et profecto in gravi illa quaestione de numeris in oratione, cuius artificii merito praecipuus auctor habebatur Isocrates, non tamen huius ipsius, sed Ephori laudantur praecepta, ibid. 57, 191. 193. tum 64, 218: unde haud mediocriter firmatur hoc, Ciceronem nullam

novisse Isocratis artem, si hoc conceditur, in eiusmodi praeceptione necessario contineri debuisse numeri oratorii descriptionem. Eadem est Quinctiliani dubitatio II, 15, 4, ubi docte et prudenter annotavit Spaldingius, quem tamen non oportebat, *τέχνας* quod nonnulli dicerent ab Isocrate scriptas esse, apud Plutarch. Isocr. p. 838. E. has ad illam, de qua agimus, artem referre, sed ad exempla potius laudationum, reprehensionum, omnino amplificationum, qualia Gorgiae et Antiphontis fuissent; eodemque fortasse modo *artes* in illo Ciceroniano loco intelligendae. Affirmat tamen Spaldingius Aristoteli plurale sic usurpatum esse. Sed non usurus erat, ut spero, vir pranstantissimus eo loco qui est Rhetor. I. 1, 3, *οἱ τὰς τέχνας τῶν λόγων συντιθέντες*, ubi de pluribus sermo est, sicut apud Platonem Phaedr. p. 261. B: quamquam hoc quidem loco ipsum *τεχνῶν* vocabulum alio modo interpretandum videtur, neque acquiescendum esse puto in ea ratione Platonis explicandi, quam sequitur Spengelius Artt Scriptt. p. 83. sq. Ipsam controversiam quod attinet, gravissima omnium mihi videri solet ipsius Isocratis auctoritas, cuius locum ex Orat. adv. Sophist. p. 295. a. recte indicavit Spaldingius ad Quinctilianum: et, quo loco ipse habuerit totum illud praecipiendi

genus, conficere licet ex eadem oratione, p. 294. c: φημὶ γὰρ ἐγὼ τῶν μὲν ἰδεῶν, ἐξ ὧν τοὺς λόγους ἅπαντας καὶ λέγομεν καὶ συντίθεμεν, λαβεῖν τὴν ἐπιστήμην οὐκ εἶναι τῶν πάνυ χαλεπῶν, ἤν τις αὑτὸν παραδιδῷ μὴ τοῖς ῥᾳδίως ὑπισχνουμένοις, ἀλλὰ τοῖς εἰδόσι τι περὶ αὐτῶν κ. τ. λ. Tum, aliquanto ante, § 14, θαυμάζω δ' ὅταν ἴδω τούτους μαθητῶν ἀξιουμένους, οἳ ποιητικοῦ πράγματος τεταγμένην τέχνην παράδειγμα φέροντες λελήθασι σφᾶς αὐτούς. κ. τ. λ. Quis autem censeat, quam ita facilem et levem existimaret esse artis compositionem, huic ipsum quoque operam dedisse? Quo magis operae pretium est explorare Spengelii, viri acutissimi, argumenta, qui Artt. Scriptt. p. 154. sqq. contrariam sententiam demonstrare conatur.

Quinctiliani dubitationem ex Ciceronis loco fluxisse concedi potest, nec tamen sic elevatur ipsius Ciceronis dubitatio. Photii verbis nihil definitum continetur, sed certe ostenditur dubitatum fuisse. Ciceronis locum in Bruto 12 perperam huc refert Spengelius, ut post demonstrabo. Quinctilianus II, 15, 4 istam rhetorices definitionem, ut sit πειθοῦς δημιουργός, sumit sane ex Isocratis arte, sed de qua dubitat: tum in eo errat, quod ab Isocrate illam definitionem inventam esse dicit, quum Gorgiae fuerit: conf. Spengel. p. 34. not. 52. et Prolegom. περὶ στάσεων,

ibid. p. 211. sq. Postremo excitat Spengelius verba Hermogenis p. 136. Ald.: quae quare potius ex Isocratis arte, quam ex celebratissimo loco Panegyrici sumta videantur, equidem non intelligo. Vellem aliquanto plus valuisset ipse Isocrates, qui nusquam finem artis esse dixit τὴν πειθώ, sed longe graviora postulavit et descripsit, Antidos. § 193. sqq., copiose et praeclare explicans quam intelligeret τὴν τῶν λόγων παιδείαν, collatis iis, quae explicat ibid. § 293. sqq. Itaque non ut ex arte, sed ut commode dictum, istud, τὰ μὲν μικρὰ μεγάλα, τὰ δὲ μεγάλα μικρὰ ποιεῖν, citat Plutarchus p. 838. F., neque hanc definitionem esse censere oportebat Westermannum ad illum locum, (qui de iisdem perperam iudicarat in Hist. Eloqu. Gr. § 48. not. 13). sed in descriptione officii poni, sicut aliquoties ista usurpat Cicero. Quaedam etiam per calumniam Isocrati obiici solita fuisse ab invidis, apparet ex his, Antidos. p. 313. b: νῦν δὲ λέγει μὲν ὡς ἐγὼ τοὺς ἥττους λόγους κρείττους δύναμαι ποιεῖν· arreptum ex iis, quae Gorgias praedicare de sese solebat, aut Protagoras: cf. Aristot. Rhetor. II, 24, 11.

A Dionysio Halic. Art. Rhetor. cap. 5. init. (Vol. V. p. 250. R.) commemorari video Isocratem, sed non ex arte, verum ex oratione ad Nicoclem: iterum-

que cap. 9. § 12 (p. 357) non auctoritatem praecipiendi, sed exemplum Isocratis afferri: et tamen quae ibid. cap. 11. § 8. fin (p. 410) ex Isocrate excitantur, videri possint ex arte depromta esse. Sed, ubi diserte aut a Dionysio, aut a Longino Isocratis ars laudaretur, ego non inveni. Verbi causa, quod excitat Dionysii testimonium Spengelius p. 156, ex iudicio de Lysia, pertinet sane ad disciplinam Isocratis per discipulos propagatam et explicitam, non item demonstrat ipsius Isocratis fuisse τέχνην: eodemque modo Quinctilianus IV, 2, 31, in illis praeceptis non ipsum laudat Isocratem, sed eos *qui sunt ab Isocrate*. De Scholiasta ined. in Hermogenem, quem ex Cod. Monac. excitat Spengelius p. 160 (Ἰσοκράτης ἐν τῇ τέχνῃ), tantum dicam, non negari Isocratis nomine inscriptum fuisse talem librum, sed gravioribus auctoribus quaeri an vere Isocratis fuerit. Nec tamen facile concedam a Menandro, cuius verba apponit Spengelius p. 163, Isocratis libros de arte significari: exemplo utitur, non praecepto. In Apsine, cuius locum subiicit Menandri verbis, τὰ Ἰσοκράτους παραγγέλματα possunt sane, nec tamen necessario debent ad ipsius Isocratis librum referri. Obiter monemus in Apsine corrigendum videri, τραχύνειν τὸν λόγον τὴν παράθεσιν καὶ συμπλοκὴν, tum ἃ τῇ ἀκροάσει οὐκ

ἀνεκτὰ καὶ τὸν λόγον οὐχ ὅτι συνυφαίνειν ἔοικεν, κ. τ. λ.

De loco Ciceronis ad Div. I, 9 supra dixi. Sed Plutarchum Demosth. cap. 5 (quem locum apposuit Spengelius p. 172) non ita interpretari licebit, ut Isocrates *τέχνην ῥητορικὴν* scripsisse existimetur. Agitur de Ctesibio, qui dixerit Demosthenem *παρὰ Καλλίου καί τινων ἄλλων τὰς Ἰσοκράτους τέχνας καὶ τὰς Ἀλκιδάμαντος κρύφα λαβόντα καταμαθεῖν.* Iam si *τέχνας* ad artis compendium et praeceptionem revocare quis vult, Ctesibio eum loquendi morem tribuat necesse est, qui postea demum invaluit, ut plurali numero diceretur si *τέχνη* pluribus libris constaret; sumendumque hoc est, Isocratis quoque artem pluribus libris constitisse. Sed praeterea, quoniam Demosthenes Isocratis *artes a Callia, et a quibusdam aliis* accepisse narratur, dandum erit illas dispersas fuisse, ut alius alias partes descriptas haberet, nec coniunctas, ut penes unum omnes essent. Tale quid fieri potuisse non nego; sed durum est, si quis probabile esse contendat, plura capita eiusmodi praeceptionis ita discerpta fuisse, ut alia penes alios essent. Porro, si Demosthenis consilium spectamus, tantumne eius interfuisse putabimus artem quamcumque *ediscere* (*καταμαθεῖν*), quae utilia sane, sed brevia monita et

praecepta continuerit necesse est? Quod multo gravius et utilius erat, positum erat in exemplis dicendi, quae isti magistri elaborabant, quaeque discipulis ad imitandum proponebant, et in quo genere eos exercebant, sive ea prooemia essent, sive laudationes, sive reprehensiones, sive epilogi, sive cuiuscumque generis amplificationes et loci communes, in quibus, quod Cicero pluribus locis demonstrat, omnis vis et ornatus dicendi explicari poterat. Talia cognoscere permultum intererat Demosthenis, nec puto aliud quidquam indicari *τεχνῶν* vocabulo, praeter illos locos communes, quales Cicero, Aristotelem secutus, relictos iam esse narrat a Protagora, a Gorgia et ab Antiphonte: Brut. 12, 46, sq. Neque enim aliae fuerunt Antiphontis *τέχναι*, quas *ἐξενέγκαι* dicitur apud Plutarchum p. 832. D. Et quod in Isocratis *τέχναις* valere putamus, idem dicendum est de Alcidamante, cuius mentio cum illo apud Plutarchum coniungitur. Non quaero nunc utrum omnino artem reliquerit Alcidamas: sed ex nobili loco Prolegom. in Hermog., quem Spengelius edidit p. 172. sq., non magis hoc conficere licet, quam Isocratem, (cuius, quamvis non appellatur, sententia ponitur his verbis, *ἐπιστήμη τοῦ εὖ πράττειν τά τε ἴδια καὶ τὰ κοινά*, quae aliquanto melius Graece, et elegantius dicta repe-

riuntur in pluribus orationum Isocratearum locis,) aut quam Platonem, cuius definitio proditur quae in Gorgia exstat.

Sunt alia praeterea, qnae videri possint commendare hanc opinionem, nullam artem relictam esse ab Isocrate. Aristoteles Rhetor. I, 1, 10, qnum dixisset τὴν δημηγορικὴν πραγματείαν multo esse graviorem, quam τὴν δικανικὴν, de prioribus artium scriptoribns queritur, qui, relicta altera illa consideratione, omnes περὶ τοῦ δικάζεσθαι πειρῶνται τεχνολογεῖν. Qui autem meminerit quam perpetuo Isocrates succenseat iis, qni dicendi disciplinam τοῖς ἰδίοις συμβολαίοις accommodarent, numquam concedet einsmodi artem ab eo componi potuisse. Non meminisse videtur Spengelius huius loci in ea demonstratione qua utitur p. 13: sed sensit eius momentum p. 165, frustra tamen negans eum sibi contrarium esse, neque rationes addit quibus hoc defendat. Tam diserta tamen Aristotelis auctoritas admonere poterat, qnam caute utendum esset illis technicis, qui, aliquot seculis post, ea fortasse, quae fando andiverant, minus diligenter repetierunt. Sic quae Prolegomena in Hermog. citat Spengelius p. 82. init., non tantum Gorgiae tribuunt artem, sed tum Antiphonti, μετὰ ταῦτα δὲ Ἰσοκράτης ὁ ῥήτωρ (λέγεται τέχνην γράψαι), καὶ πᾶσαι μὲν

αὗται δημαγωγικαὶ τέχναι ἦσαν· plane contrarium eius, quod tradiderat Aristoteles.

Valebunt haec, quae disputavi, aliquantum, ut spero, nisi ad convincendam, certe ad labefactandam eam demonstrationem, qua usus est magno sane acumine et praeclara eruditione Spengelius, ut Isocrati τέχνην vindicaret. Sed haud alienum videtur de τέχνης vocabulo nonnulla addere iis, quae modo ante obiter animadverti. Est sane ita, prout intelligi solet, ut τέχναι plurali numero dicantur, si opus ipsum pluribus constat libris. Sic Pollux VI. 143. p. 649 citat Antiphontem ἐν ταῖς ῥητορικαῖς τέχναις· nam tertius liber citatur apud Anti-Atticistam Bekkeri I. p. 78 et 79: eademque forma memoratur Antiphontis liber apud Apsinem p. 719. Ald.: et sic Aristotelis Rhetorica indicantur ῥητορικῶν τεχνῶν nomine apud Dionys. Halic. Compos. verb. cap. 25. p. 386. Schaef. et semel iterumque in Epist. ad Ammaeum init. et apud Sext. Empir. adv. Mathem. II, 8. Rursus de Antiphonte, τέχνην appellat Ammonius p. 127. Non tamen ubique τέχνας sic interpretandas esse contendo, sed ita appellatas quoque fuisse, quas alii μελέτας appellarent. Dionysius apud Scholiast. Hermogenis (vid. Spengel. p. 78) de Gorgiae charactere loquens, haec dicit: δικανικοῖς μὲν

οὖν αὐτοῦ οὐ περιέτυχον λόγοις, δημηγορικοῖς δὲ ὀλίγοις καί τισι καὶ τέχναις. Sed quis umquam τῆς ἰδέας τῶν λόγων τὸν χαρακτῆρα ex artis compendio intelligere potuit? Similiter Dionysius Iudic. de Isaeo (cap. 20. Vol. V. p. 628. R.) Thrasymachi virtutes dicendi describens, addit, πᾶς δ' ἐςὶν ἐν τοῖς τεχνογραφικοῖς καὶ ἐπιδεικτικοῖς, quorum coniunctio necessario excludit artis ita dictae cogitationem, nec dum demonstratum est Ἐλέους, quos reliquisse traditur, praeceptione potius quam exemplis constitisse: nullaque auctoritate Suidas ei τέχνην ῥητορικὴν tribuit. Rursus Dionysius Isaei Iudic. cap. 19, (p. 625) Theodorum Byzantium appellat ἀρχαῖόν τινα, καὶ οὔτε ἐν ταῖς τέχναις ἀκριβῆ, οὔτε ἐξέτασιν ἱκανὴν ἐν τοῖς ἐναγωνίοις δεδωκότα λόγοις. Atqui *subtilitas dicendi* non poterat nisi in μελέταις et in ἐπιδεικτικοῖς spectari, quae proprie opponuntur τοῖς ἐναγωνίοις· neque artem rhetoricam cogitare licet. Contulit hunc locum, nec iniuria, Spengelius p. 98. not., cum Aristotelis auctoritate apud Ciceronem Brut. 12; sed ea ipsa Tulliana melius interpretanda relinquuntur. Non plane latuisse hoc Spengelium coniicio ex iis, quae de Lysia disputat p. 136: nec tamen in Plutarcho Lysia p. 836. B. (εἰσὶ δ' αὐτῷ καὶ τέχναι ῥητορικαὶ πεποιημέναι καὶ δημηγορίαι) aliae intelli-

gendae sunt praeter exercitationes illas epidicticas.

Et quoniam in Spengelii eruditissimum commentarium necessario incurrere debui, percurramus alia, quae istis subiunguntur. Veluti ἴδιαι τέχναι, quas Isaeus καταλελοιπέναι dicitur apud Plutarchum p. 839. F., si artem rhetoricam ab eo scriptam esse significare voluit, prorsus novo et inaudito more locutus est Plutarchus, quum συντιθέναι, συγγράφειν, aut simplex γράφειν τέχνην, similiaque dicere posset: nunc, ut mittam plurale, quid est ars rhetorica ἰδία? Ipsius? et alienam quoque relinquere poterat Isaeus? Scilicet τέχναι iterum intelligendi sunt loci elaborati, sed non communes illi, quales desribuntur a Cicerone Orat. III, 27, 105. sq., qui omnibus causis accommodari poterant, sed ii, qui certarum causarum proprii erant, ideoque ἴδιαι appellantur. Huius generis erant illa, quae diligentur et acute explicat ipse Spengelius p. 106. sqq. Nam nulla alia causa est cur tam saepe eadem dicere deprehenderentur oratores et in furti suspicionem inciderent, quam istarum τεχνῶν usus; unde explicandum illud, quod Dionysius Iudic. de Lysia cap. 17 (Vol. V. p. 491.), ὅτι καὶ τὰ παρ᾽ ἑτέροις εἰρημένα λαμβάνοντες ὀλίγου δεῖν πάντες, οὐκ ἐν αἰσχύνῃ τίθενται τὸ ἔργον. In

Demosthene permulta aliena monstrari posse, quis ignorat? Et hoc est quod ei Pytheas obiiciebat, ut tradit Dionysius de Isaeo. cap. 4 (Vol. V. p. 592) ὅτι τὸν Ἰσαῖον ὅλον καὶ τὰς τῶν λόγων ἐκείνου τέχνας σεσίτισαι, ea locutione usus, in qua agnoscas hominem nulla literarum eruditione aut elegantia imbutum, qualis fuit Pytheas: sed tamen quis umquam oratorem *pastum esse* (ut recte interpretatur Ruhnkenius ad Rutil Lup. p. 41. a.) dixerit aliquo artis compendio? Contra edidicisse Demosthenem significat omnes illos locos, quos Isaeus elaboraverat, laudationum, castigationum, exordiorum, epilogorum, amplificationum, multarumque figurarum; neque definitiones aut divisiones, aut quaecumque fuerint praecepta, adiuvare potuerunt Demosthenem, sed ipsa inventio et compositio orationis, eiusque artificii exempla, propter quod δόξα γοητείας καὶ ἀπάτης oriebatur apud aequales: quae non recte attendisse mihi videtur Spengelius locos istos usurpans p. 181. Ex illo fonte fluxit exordiorum similitudo, sicut istud τὴν μὲν παρασκευὴν ὁρᾶτε κ. τ. λ., cuius tamen observatione Clementem Alexandr. correxit Ruhnkenius Hist. Crit. Or. Gr. p. XL: (addatur Lys. Bon. Aristoph. § 2. et Bremius ad Aeschin. Ctesiph. init.) recte profecto, nisi quod ea similitudo non satis certo oratori vindicabat

exordium istud. Et Lysias quidem simili instituto reliquerat *παρασκευάς*, teste Marcellino in Hermog. p. 142, rectissimeque iudicat Spengelius p. 135. sq. artem rhetoricam nullam fuisse Lysiae, frustraque ab eo dissentit Hoelscherus De Vita et Script. Lys. p. 43.

Sed Spengelius in Isaei illo artificio explicando (p. 181) non minus ipse errat, quam Westermannus Hist. Eloqu. Gr. § 51. fin. p. 88. Nam in eodem Plutarchi loco p. 839. F. de Isaeo hoc dicitur: *πρῶτος δὲ καὶ σχηματίζειν ἤρξατο καὶ τρέπειν ἐπὶ τὸ πολιτικὸν τὴν διάνοιαν, ὃ μάλιστα μεμίμηται Δημοσθένης.* Nescio, inquit Spengelius, an sit *σχηματίζειν* schemata recte distinguere et suo collocare loco, ut huc pertineant Dionysii verba de Isaeo (cap. 3. fin. Vol. V. p. 590. R.) — *καὶ μέχρι πολλοῦ προάγει τὰς τῶν ἐπιχειρημάτων ἐξεργασίας, σχημάτων τε μεταβολαῖς ἐναγωνίων καὶ παθητικῶν ποικίλλει τοὺς λόγους.* Statim dubitandum est, pace viri acutissimi dicam, an *σχηματίζειν* ita absolute positum, sit schemata suo loco collocare, nec, si ita esset, tam esset in Isaeo, aut in quoquam oratore praedicandum, ut novum inventum. Quid Westermannus voluerit (*der politischen Rede gab er schärfere Umrisse*), malo me non intelligere dicere, quam longissime a vero aberrare. Mihi

σχηματίζειν haec virtus in oratore esse videtur, quam in Demosthene, Isaei discipulo, praedicavit Cicero Oratore 39, 136: *sed sententiarum ornamenta maiora sunt: quibus quia frequentissime Demosthenes utitur, sunt qui putant, idcirco eius eloquentiam maxime esse laudabilem. Et vero nullus fere ab eo locus sine QUADAM CONFORMATIONE SENTENTIAE dicitur: nec quicquam est aliud dicere, nisi aut omnes aut certe plerasque ALIQUA SPECIE ILLUMINARE SENTENTIAS:* quae porro explicantur Cap. sequ. Sed in Plutarcho, ἐπὶ τὸ πολιτικόν, quod commode explicari nequit, mutandum in ἐπὶ τὸ παθητικόν. Nec difficile est demonstrare eam, quae istis verbis significetur, virtutem desiderari in Isocrate, ideoque eius tamquam languidiorem videri orationem, nec pellere animos, sed potius unius formae et elaboratarum periodorum continuatione consopire.

Non plane ab hac disputatione aliena est eius loci consideratio, quem non praetermisit Spengelius p. 181. fin. Video enim nunc, quod ignorabam quum in Bibl. Crit. N. V. p. 456 paucis attingerem eumdem locum, verba Dionysii Halic. Epist. ad Ammae. cap. 2. fin. ab eo apponi, ex quibus alios cognosci dicit, qui artem rhetoricam scripserint. Sed locum ipsum non

intellectum esse a viro eruditissimo, demonstrare posse mihi videor. Primum colo posito prave distinguit post συγγραφεῖς· tum inde, ut aequum erat, in hunc errorem incidit, ut assumat de Aeschine quoque dici, eum dicendi artem docuisse. Non credendum est, inquit Dionysius, ὅτι πάντα περιείληφεν ἡ περιπατητικὴ φιλοσοφία τὰ ῥητορικὰ παραγγέλματα, καὶ οὔτε οἱ περὶ Θεόδωρον καὶ Θρασύμαχον καὶ Ἀντιφῶντα σπουδῆς ἄξιον οὐδὲν εὗρον, οὔτ' Ἰσοκράτης καὶ Ἀναξιμένης καὶ Ἀλκιδάμας, οὔτε οἱ τούτοις συμβιώσαντες τοῖς ἀνδράσι, παραγγελμάτων τεχνικῶν συγγραφεῖς καὶ ἀγωνισαὶ λόγων ῥητορικῶν, οἱ περὶ Θεοδέκτην καὶ Φίλισκον καὶ Ἰσαῖον καὶ Κηφισόδωρον, Ὑπερίδην τε καὶ Λυκοῦργον καὶ Αἰσχίνην, οὔτ' αὐτὸς ὁ Δημοσθένης κ. τ. λ. In quibus tum manifestum est distingui τοὺς ἀγωνισὰς λόγων, i. e. veros oratores, ab iis qui dicuntur παραγγελμ. τεχν. συγγραφεῖς· tum non his postremis tantum, dicendi magistris, sed illis etiam tribui hoc, ut multa ipsi invenerint, quae falso quis Aristotelis demum disciplinae deberi putaret. Igitur non tantum illo crimine liberandus est Dionysius, quasi Aeschinem in rhetoribus numeravisset, sed ne hoc quidem conficitur ex eius verbis, scripsisse artem Isocratem.

Neque rectius interpretatus est Spengelius p. 189 alium Dionysii locum de Isaeo cap. 19 (Vol.

V. p. 626. R.), ubi quum de Anaximene dicatur καὶ τέχνας ἐξενήνοχε, maluit artis compendium interpretari, quam illas μελετὰς, de quibus supra dixi. Satis, credo, perspicuum est Dionysium illo loco exponere, quare de reliquis oratoribus nihil dicat, postquam de Lysia et de Isocrate et de Isaeo absolvisset; nempe, quod nosset reliquos illos ἧττον ἐν ταῖς ἰδέαις ταύταις κατορθοῦν· tum singulorum vitia aut defectus commemorat, quae in eorum editis libris exstarent, id est in ipsis dicendi speciminibus. Hinc Theodorum appellat ἀρχαῖον ὄντα, καὶ οὔτε ἐν ταῖς τέχναις ἀκριβῆ, οὔτε ἐξέτασιν ἱκανὴν ἐν τοῖς ἐναγωνίοις δεδωκότα λόγοις· in quibus opponuntur inter se λόγοι ἐναγώνιοι, iudiciis destinatae orationes, et τέχναι, i. e. exercitationes illae ad exemplum et ἐπίδειξιν comparatae, (isque locus necessario postea conferendus erit cum Ciceronis Bruto, 12, 48;) tum eodem modo Anaximenem diiudicat ex quadruplici genere scriptorum; καὶ γὰρ ἱστορίας γέγραφε, καὶ περὶ τοῦ ποιητοῦ συντάξεις καταλέλοιπε, καὶ τέχνας ἐξενήνοχε, ἧπται δὲ καὶ συμβουλευτικῶν καὶ δικανικῶν ἀγώνων. Quis in his compendium rhetoricum videbit, nec potius easdem illas exercitationes, quales modo intelligebam? Non contendo Anaximenem nulla παραγγέλματα τεχνικὰ reliquisse, et vera sit licet Victorii suspicio, quae

Aristotelis nomine ad Alexandrum feratur Ars, eam Anaximenis esse: hoc dico, non significari eamdem artem a Dionysio.

§ 3.

Quaeruntur nonnulla de Isocratis discipulis.

In discipulis Isocratis constanti veterum auctoritate numeratur Theodectes Phaselita. Tamen is apud Ciceronem Orat. 51, 172 de industria segregatur ab Isocratis disciplina, et Aristotelis *auditor* appellatur, et in eodem volumine saepius cum Aristotele et Theophrasto componitur. Contra Hermippus ἐν τῷ περὶ Ἰσοκράτους μαθητῶν (apud Athenaeum X. p. 451. E.) Isocrati vindicat: neque alia de causa, ut puto, unius in eo Isocrateae disciplinae mentionem facit Dionysius, (cuius locos indicavit Westermannus Hist. Eloqu. Gr. § 50. not. 6. et § 68. not. 21.) nisi quod Aristoteli et philosophis est infensior. Suidae, qui duos Theodectas distinguit, patrem et filium, non credendum esse puto: nec fraudi sunt eiusmodi turbae in aliis quoque nominibus. - Prorsus sine exemplo est τέχνη ῥητορικὴ ἐν μέτρῳ, quae apud eumdem Theodectae tribuitur. Voluitne εὔμετρον? Metricam certe illam artem non defen-

dendam esse opinor ex eo, quod apud Stephanum Byz. memorantur eius λόγοι ῥητορικοὶ ἐπῶν, in quo postremo vocabulo Ruhnkenius Hist. Cr. Or. p. LXXXIII haud inepte numerum latere putabat orationum; nisi quod λόγους appellari libros potius universos, quos scripserit, quam orationes arbitror.

De Theopompo locus est Dionysii Ep. ad Pomp. de Histor. cap. 6 (Vol. VI. p. 782.): Θεόπομπος δὲ Χῖος — πολλοὺς δὲ συμβουλευτικοὺς συνταξάμενος λόγους, ἐπιστολάς τε τὰς ἀρχαϊκὰς γραφομένας καὶ ὑποθήκας ἄλλας, λόγου ἀξίαν ἱστορίαν πεπραγματευμένος, ἄξιος ἐπαινεῖσθαι. Corrigebat Valckenaerius ἀρχαϊκῶς· utrumque defendit et interpretatur Wichersius in Theopomp. fragmm. p. 32 sq.; non recte, ut mihi videtur, potiusque aliunde restituendum esse opinor titulum περὶ τῆς Χίας, necessarioque, quod Sylburgius volebat, ἐπιγραφομένας legendum. In postremis historiae scriptae mentio requirit copulam; corrigendumque videtur — ὑποθήκας, ἀλλὰ καὶ λόγου ἀξ. κ. τ. λ.

Dicamus etiam aliquid de altero ex illo pari, Ephoro. Nam Ciceronem Orat. 57, 191, non intellectum esse, et scriptura eius loci mihi persuadet, et virorum doctorum consuetudo illius loci usurpandi. *Ephorus autem levis ipse orator, sed profectus ex optima disciplina.* At-

qui *levis* non est ταπεινὸς, aut ὕπτιος, (quamquam ὕπτιον dicendi genus tribuitur Ephoro; conf. Marx. Ephor. p. 39) sed est γλαφυρὸς, quod in ea laude struendae orationis dicitur et numerorum, de qua nunc sermo est: igitur non *sed*, sed, *et profectus* legendum est: conf. ibid. 51, 172. Manifestum est autem utroque nomine laudari Ephorum, facultate, et disciplina.

Minus nobiles ii sunt discipuli, quos ipse Isocrates (Antidos. § 99) commendat, quo suam disciplinam a criminationibus vindicet, Eunomus, Lysithides, Callippus, Onetor, Anticles, Philonides, Philomelus, Charmantides. Vix enim credibile est, propter ea quae de his praedicantur, Callippum hunc eumdem esse atque eum, quem Platonis discipulum commemorat Athenaeus XI. p. 508. E. F. (in cuius loci continuatione, de Euagone Lampsaceno, pro ἀποστερήσας corrigendum est σφετερίσας) et Diogenes Laert. III. 46. Sed tamen cognitus est Callippus ex Demosthenis contra eum oratione, cuius initio p. 1235. fin. dicitur δόξαν ἔχων καὶ δυνάμενος εἰπεῖν· ex eademque causa cognitus est Lysithides amicus eius, et, ut p. 1240. 8 appellatur, Ἰσοκράτους καὶ Ἀφαρέως ἑταῖρος. Suspicabatur Reiskius in Ind. Histor. v. *Callippus*, hunc eumdem esse cum eo, cuius mentio est in oratione Contra Polyclem,

quae ipsa quoque pro eodem Apollodoro scripta erat, qui contra Callippum agebat; rursus tamen putabat diversos esse, quod Aexonensis alter, alter Lamptrensis dicitur. Quamquam non negligendus est locus Demosthenis Pro Phorm. p. 960. fin., ubi obiicitur eidem Apollodoro quod tot homines privata aut publica actione in ius vocavisset, Timomachum, Callippum, Menonem, Autoclem, Timotheum. Atqui in illa contra Polyclem oratione et Timomachum et Callippum simul vexat et accusat, ita ut iusta suspicio sit hunc eumdem esse, adversus quem exstet oratio. Sed quum forte fortuna, praeter Callippum, Timotheus quoque in eorum numero memoretur, quos aliquando accusaverit Apollodorus, (Demosth. p. 961. init.) eoque amicissimo uteretur Isocrates, haud ineptum est suspicari reliquos quoque, Autoclem, Menonem, Timomachum, qui ςρατηγοὶ fuerunt (Demosthen. Contr. Philocl. p. 1210) Isocratis disciplina usos fuisse. De Eunomo vix quidquam coniicere licet, nec de Philonide aut Philomelo aut Charmantida. Memoratur Eunomus classi Athen. praefectus apud Xenophontem Hellen. V, 1, 5, qui aptius cum Isocratis disciplina coniungatur, quam duo illi apud Demosthenem hoc nomine commemorati: et fieri potest ut idem Aeschinis frater intelligen-

dus sit, quem indicari dicit Reiskius a Demosthene Fals. Legat. p. 379. 16: a quo distinguendus est is, qui appellatur apud Lysiam Bon. Aristoph. § 19. Sed de reliquis nihil, quod commendari possit, divinare possum. Istos tamen omnes si *ἡ πόλις χρυσοῖς ςεφάνοις ἐςεφάνωσεν*, ut dicit Orator Antidos. § 100, fuerit fortasse ille honor, qui senatoribus munere abeuntibus tribui solebat: nam extraordinarium honorem in tam obscuris hominibus vix cogitare licet.

Anticlem, Isocratis discipulum, diversum esse puto ab iis qui eodem nomine appellantur, v. c. apud Thucydidem I, 117, 2, Lysiam Olea sacr. § 4. Aeschinem Timarch. p. 39. Tauchn. Plutarchum T. II. p. 1136. A. Sed nihil impedit quo minus Onetorem eumdem intelligamus atque Aphobi affinem, quem ex Demosthenis actionibus cognitum habemus, ditissimumque fuisse colligitur ex p. 867. init. Huius pater erat Philonides (Demosth. Aphob. I. p. 831. 9.) quo ipso nomine alius Isocratis discipulus memoratur, non diversus fortasse ab eo, adversus quem fuit Lysiae oratio, cuius est fragm. 54. Philomelum bis appellat Isocrates Trapezit. p. 360. B. et p. 367. E. Idemne qui Lysiae memoratur Bon. Aristoph. § 15, difficile est affirmare, quamquam is non diversus esse videtur

ab eo, cuius equum mutuum habuerat Midias: vid. Demosth. Mid. p. 571. 4: qui quum Paeanisensis fuerit, non confundendus erit cum alio, Cholargensi, apud Lycurgum Leocrat. § 24.

His igitur omissis tanto magis operae pretium esse concedetur diligentius in Timotheo haerere. Huic quantam operam dederit Isocrates, multa demonstrant: eoque referendum quod traditur apud Photium Cod. CCLX. p. 286. b. 33., *μεθ' οὗ (Τιμοθέου) καὶ πολλὰς ἐπιὼν πόλεις τὰς πρὸς Ἀθηναίους ἐπιστολὰς συνετίθει, αἳ τὸν Τιμόθεον ἐπεγράφοντο*, i. e. *quae nomen Timothei inscriptum habebant*, ne quis putet *Τιμοθέου* corrigendum esse. Idem referens Plutarchus p. 837, C., corrigendus est, *ἄλλοι τε πολλοὶ* pro *ἄλλοι δὲ π.* tum adiicit, *ὅθεν ἐδωρήσατο αὐτῷ (Ἰσοκράτει) τάλαντον τῶν ἀπὸ Σάμου περιγενομένων.* Timothei expeditiones et res gestas illustri loco ornatissimis verbis persequitur Isocrates Antidos. § 114. sqq. (tempora recte definit Voemel. Prolegom. in Philipp. I. et Olynth. p. 69) et hanc Sami expeditionem § 118. Ex hac antem expeditione tam munificum esse potuisse Timotheum, ex eodem loco intelligimus; in aliis expeditionibus insigni inopia conflictatum esse, constat ex Demosthenis oratione contra Timotheum. Quae de Timothei calamitate memorat Isocrates ibid. § 137, partim

ex Corn. Nepote Timoth. 3, partim ex Diodoro Sic. XVI. 21. definienda sunt, partim ex Dinarcho, cuius alterum locum bene emendavit Wesselingius ad Diodorum. Nam non ex illa adversus Samum expeditione, sed ex bello sociali, Ol. CVI. 1. hoc iudicio circumventus est Timotheus, Archonte Diotimo: conf. Dionys. Halic. De Dinarcho fin. Verum tamen ex Isocratis verbis bis in ius vocatum esse Timotheum colligitur: εἰ (αὐτὸν) — περὶ προδοσίας ἔκρινε (ἡ πόλις), καὶ πάλιν εἰ διδόντος εὐθύνας αὐτοῦ, καὶ τὰς μὲν πράξεις Ἰφικράτους ἀναδεχομένου, τὸν δ' ὑπὲρ τῶν χρημάτων λόγον Μενεσθέως, τούτους μὲν ἀπέλυσε, Τιμόθεον δὲ τοσούτοις ἐζημίωσε χρήμασιν κ. τ. λ. Igitur hoc certe exemplum eximendum est iis, de quibus fortasse cogitavit Meierus Lit. Att. p. 343, quum diceret, nonnunquam προδοσίαν quoque pecuniaria mulcta fuisse aestimatam. Nam ex duplici Dinarchi loco apparet huius, quo damnatus est Timotheus, iudicii actorem fuisse Aristophontem, et crimen obiecisse detrectatae pugnae, quod a Chiis et Rhodiis corrumpi se passus esset: conf. Dinarch. Contr. Demosth. § 14. fin. Contr. Polycl. § 17. Sed hoc iudicium fuit εὐθυνῶν, sicut tum ipse Isocrates diserte explicat, tum Dionysius l. c. ἐφ' ῇ (ϛρατηγίᾳ) τὰς εὐθύνας ὑποσχὼν ἑάλω. Nihilominus quum alii, tum Boeck-

hius Oecon. Civ. Athen. I. p. 413, eam γραφὴν προδοσίας fuisse putaverunt; id quod neque ex reliquis, quos citavit, locis demonstratur satis, (nam Nepotis verbis, *accusantur proditionis*, hanc controversiam dirimere non licet,) neque ex Plutarcho Vit. Lysiae p. 836. D., cuius verba turbata et corrupta operae pretium est, quoniam nemo fecit praeter Meierum Bon. Damnat. p. 195. sq. qui mihi non satisfacit, cum Isocrateis componere. De Lysia igitur haec traduntur: *συνέγραψε δὲ λόγον καὶ Ἰφικράτει, τὸν μὲν πρὸς Ἁρμόδιον, τὸν δὲ προδοσίας κρίνων Τιμόθεον, καὶ ἀμφοτέρους ἐνίκα. ἀναδεξαμένου δὲ Ἰφικράτους τὰς τοῦ Τιμοθέου πράξεις, ταῖς εὐθύναις ἀναλαβὼν τὴν τῆς προδοσίας αἰτίαν, ἀπολογεῖται διὰ τοῦ Λυσίου λόγου, καὶ αὐτὸς μὲν ἀπελύθη, ὁ δὲ Τιμόθεος ἐζημιώθη πλείσοις χρήμασι.* Apparet ipsa verba Isocratis istis interposita esse. Sed quam inepte omnia corrupta! Κρίνοντι, pro κρίνων, coniecerunt viri docti: tum laborat Reiskius in ἀμφοτέρους, cui substitui vult ἀμφοτέροις, aut τοὺς ἀγῶνας subaudiri: pro ἀναδεξαμένου (quod tamen ipsum Isocrateum est) Reiskius ἀναλεξαμένου, Meierus πάλιν ἀναδεξαμένου. Nihil his proficitur. Agitur primum de duabus orationibus, quas Lysias scripsisset Iphicrati: fuerunt hae, teste Dionysio Halic. De Lysia cap. 12,

ὁ περὶ τῆς Ἰφικράτους εἰκόνος, et Ἀπολογία Ἰφικράτους" sed neutram Lysiae esse posse per temporum rationes demonstrat acutus criticus, putatque ipsius esse Iphicratis; quod verissime iudicari comprobant ea, quae de Iphicrate collegit Ruhnkenius Hist. Crit. Or. Gr. p. LVIII. Quid autem Plutarchus? Alteram scriptam fuisse orationem Iphicrati, qua Timotheum in iudicium vocaverit proditionis. Nihil magis historiae adversatur. Tamen hoc suscipit et defendit Meierus, non sine duplici errore, pace viri praestantissimi dicam. Nam, ut a postremo incipiam, illa certe Plutarchi verba ad prius Timothei iudicium referri nequeunt (τὸν δὲ προδοσίας κρίνοντι Τιμόθεον,) quia subiciitur καὶ ἀμφοτέρους ἐνίκα· quippe constat Timotheum priori illo iudicio fuisse absolutum. Atque hoc uno iam probatur absurda esse ea, quae legimus in Plutarcho: nam in altero Timothei iudicio actorem fuisse Iphicratem, nec quisquam dixit, nec fingi ullo modo potest.

Gravior quaestio est de loco Demosthenis Contr. Timoth. p. 1187. 6. quo utitur Meierus ut ostendat Ol. CI. 4 a Callistrato et Iphicrate capitis accusatum esse Timotheum. Locus Demosthenis incipit a verbis ἐπειδὴ δ' ἀπεχειροτονήθη κ. τ. λ., in quo loco non satis est ad explicandum id, quod Schaeferus annotavit, protasin huius periodi

pertinere usque ad p. 1168. 17, ubi apodosin incipere a verbis *μέλλων τοίνυν*. Nam pertinet ad veram loci interpretationem, ut sententiae enunciationem abrumpi agnoscamus in verbis *διὰ τὸ μὴ περιπλεῦσαι Πελοπόννησον*, eamque iterum suscipi p. 1187. 25 verbis *ἐπειδὴ δ' ἀποχειροτονηθείς·* reliqua autem in vera parenthesi poni, ipsa plusquamperfecta ostendunt (*παρεδέδοτο* et *ἐφειςήκει*), quibus minime possunt illa superiora (*ἀπεχειροτονήθη*) continuari. Dicit igitur in hac parenthesi orator, *traditus autem erat populo ad iudicium maximum crimen nactus, instituerantque ei Callistratus et Iphicrates, et ita affecerant* (manifesto enim servandum *οὕτω δέ*, non *δή*) *vos isti criminantes Timotheum* (sic videtur *τούτου* explicandum, quamquam aptius esse iudico, ut pro *τούτου* legatur *τοτε*), ut Antimachum quidem mortis damnaveritis, bonis eius publicatis, *ipsum autem Timotheum*, deprecantibus eius amicis, *μόλις μὲν ἐπείσθητε ἀφεῖναι, ςρατηγοῦντα δ' αὐτὸν ἐπαύσατε.* Huius igitur narrationis quum haec clausula sit, Timotheo imperium abrogatum esse, quumque orator dicat *ἐπὶ κρίσει παρεδέδοτο εἰς τὸν δῆμον*, non *εἰς τὸ δικαςήριον*, apparet non in tribunali, neque ex actione adversus eum instituta haec facta esse, sed in concione populi; concedendumque tum Callistratum,

tum Iphicratem, tum alios (τοὺς συναγορεύοντας αὐτοῖς) non in ius vocasse Timotheum, neque in tribunali contra eum dixisse (ne dicam inauditum esse ut plures eamdem simul actionem instituerent,) sed vexasse eum in concionibus (quod dicit κατηγοροῦντες,) et totum illud ἐπὶ κρίσει παραδίδοσθαι nihil aliud esse nisi hoc, ut in populi concione de Timothei rebus segniter gestis et mentio facta sit, et oratores illi verba fecerint, et populus in suffragia missus fuerit. Itaque Callistratus et Iphicrates προβολὴν instituisse videntur in populi concione (conf. de προβολαῖς, praeter alios, ipse Meierus Lit. Att. p. 271. sqq.) contra Timotheum eiusque quaestorem Antimachum: cuius rei hic fuit eventus, ut προβολὴ contra Antimachum acciperetur a populo (κρίναντες ἐν τῷ δήμῳ,) itaque huius causa, ut oportebat, ad tribunal dilata ipse mortis damnaretur (ἀπεκτείνατε,) Timothei contra causa ita benignius iudicaretur, ut illa προβολὴ reiiceretur, sed imperium ei auferretur, id quod non ex actione iudiciali, sed in ἐπιχειροτονίᾳ τῶν ἀρχόντων, in concione, fiebat. Etenim omnia haec in populi concione peracta fuisse quum alia demonstrant, tum hoc, quod amicorum Timothei, peregrinorum etiam, multum in eius salute gratia valuisse dicitur. Quae si ita sunt, sequitur neque capitis

accusatum in iudicio fuisse ab Iphicrate Timotheum, neque in huiusmodi προβολῇ, aut a Lysia, aut a quoquam λογογράφῳ scriptam, qua alius uteretur, orationem cogitari posse, aut ab ipso Iphicrate de industria compositam. Sitne oratio contra Timotheum ipsius Demosthenis nec ne, nunc non quaero, nec quidquam id ad rem pertinet. Westermanni incogitantiam, qui, ad Plutarchum, illam scilicet Iphicratis contra Timotheum orationem cum eiusdem Apologia confundit, omitto.

Sed restat ut corrigamus Plutarchum. Nam, quamquam ille Vitarum X oratorum scriptor nulla elegantia, nulloque ordine in rebus tradendis usus est, tamen falsa et inepta eum tradidisse concedi non oportet. Suspicor autem sic reliquisse Plutarchum: *τὸν δὲ προδοσίας πρὸς Ἀριστοφῶντα, ὃς καὶ ἔκρινε Τιμόθεον.* Credibile est enim eumdem Aristophontem, cuius Dinarchus accusationem in Timotheum bis commemorat, Iphicratem quoque eodem genere actionis in ius vocavisse. Chares certe utrumque criminationibus suis populo invisum reddiderat, sicut auctor est Diodorus Sic. XVI. 21 (quamquam perperam eumdem utriusque iudicii eventum exstitisse tradens:) nec dubitari potest quin haec quoque causa primum προβολαῖς in populi concione fuerit agi-

tata, quas quum populus suffragiis probavisset, tum in iudicium utrumque actum fuisse, actore Aristophonte. Actorem autem a Plutarcho memoratum esse, reliqua verba cogunt, ἀμφοτέρους ἐνίκα, nempe Harmodium et Aristophontem: simulque hoc ei debebimus, ut, quum alterius orationis et causam et argumentum ex Dionysio Halic. cognoscamus (περὶ τῆς Ἰφικράτους εἰκόνος), actorem, adversus quem se defenderit, nunc teneamus fuisse Harmodium; quamquam hunc in oratoribus nusquam numeratum videmus.

Sed redeamus ad Plutarchum. Quum Dionysius rectissime dicat, τὴν εἰσαγγελίαν Ἰφικράτης ἠγώνισται, καὶ τὰς εὐθύνας ὑπέσχηκε τῆς στρατηγίας, orationemque appellet περὶ τῆς προδοσίας, de hoc ipso iudicio sic Plutarchus: ἀναδεξαμένου δὲ Ἰφικράτους τὰς τοῦ Τιμοθέου πράξεις, ταῖς εὐθύναις ἀναλαβὼν τὴν τῆς προδοσίας αἰτίαν, ἀπολογεῖται διὰ τοῦ Λυσίου λόγου κ. τ. λ. Miram prorsus in his et corrigendis et explicandis rationem init Meierus. Opposita esse putat haec iis, quae modo a Plutarcho dicebantur, ideoque particula opus esse, qua de re nova agi significetur: itaque vult πάλιν ἀναδεξαμένου legere. Atqui non opposita esse ista, sed nunc de eodem agi iudicio, satis, credo, supra effeci. Arripuit fortasse illud πάλιν Meierus ex Isocrate, sed te-

mere. Tum, omisso illo ipso et participio et genitivo, neque explicans qua ratione, in eodem subiecto, subiici potuerit ἀναλαβὼν, (*transitus enim*, inquit, *ex genitivo absoluto ad nominativum neminem, qui Graece scit, offendit:* igitur libenter me Graece nescire profiteor, qui nullo modo tolerandum esse transitum existimem:) totius loci hanc interpretationem ponit: *iterum autem Iphicrates cum in rationibus reddendis ut repararet accusationem* (ἀναλαβὼν τὴν τῆς προδοσίας αἰτίαν), *quam prius Timotheo intenderat, eius in se facinora reciperet, oratione Lysiae usus ut ipse absolveretur effecit.* Vix credibile est viro acutissimo haec excidere potuisse. Iphicrates igitur, ut repararet priorem, quam instituisset contra Timotheum, actionem, in hoc altero iudicio, in suis εὐθύναις, effecit ut Timotheus (nam *ipsum* intelligere Iphicratem, nimis absurdum est) absolveretur? et constat undique non absolutum fuisse, sed damnatum Timotheum. Sed videamus interpretationem singulorum ipsam per se. Primum, ἀναλαμβάνειν si *retractare* aut *corrigere* significat, obiectum habet ipsius, qui ἀναλαμβάνει, factum aut dictum: hoc autem modo numquam αἰτία explicari potest, quae non *accusatio* est, sed crimen ipsum ex quo quis in ius vocatur. Deinde, quid hoc est, Iphicratem

Timothei facinora in se recepisse? Noluit certe Meierus hoc ita intelligi, quasi defendisset Iphicrates Timotheum in illo iudicio: nam ipse quoque reus erat, necessarioque se ipsum defendit. Vultne igitur Iphicratem voluntarium, quae Timotheo crimini darentur, sibi ut imputarentur postulasse, reumque se constituisse? At quis hoc umquam fecit? Et quid opus erat, quum Chares utrumque populo denunciavisset, ita ut uterque, tum Menestheus etiam, reus fieret. Scilicet prius Isocrates, unde ista fluxerunt, interpretandus erat, cuius idem illud *ἀναδεχομένου* non facile cuiquam satis expeditum, ut puto, videbitur. Necessario autem ex totius loci consilio hoc efficiendum esse videtur, ut Isocrates significaverit Iphicrati propter res gestas (aut potius, quod rebus gerendis adversatus esset), Menestheo propter publicae pecuniae administrationem diem dictum fuisse. Unde suspicor *ἀναδέχεσθαι*, quamquam nullo, quantum scio, exemplo, esse idem quod *ὑπέχειν*, *culpa teneri.* Haec autem verba quum usurparet Plutarchus, aut quicumque eum vel corrupit, vel prorsus inutili et intempestivo hoc additamento oneravit (nam ista, *ἀναδεξαμένου* — *χρήμασι* in tautologiam etiam incurrunt) male sedulus mutavit participii tempus, tum de suo addidit *ἀναλαβὼν*, prorsus sensu cassum, et

pro Isocrateis διδόντος εὐθύνας αὐτοῦ, posuit ταῖς εὐθύναις. Tales ineptias indicare satis est; et temere agit, qui his, tamquam rectis et sanis, abutitur ad rerum ipsarum intelligentiam turbandam. Nihil igitur dicit Isocrates nisi hoc, quamquam Iphicrates rei male gestae nomine, et Menestheus peculatus in ius vocatus esset, tamen hos a populo absolutos, solum Timotheum damnatum fuisse. Pravam interpretationem loci Plutarchei ne postea quidem agnovit Meierus, sicut apparet ex Lit. Att. p. 341. not. 49. Ne hoc quidem probandum in Meiero, quod (l. c. Bon. Damn. p. 195) Lysiae locum Bon. Aristoph. § 38 cum notissimis illis contra Timotheum actionibus coniunxit. Nam Lysias et illic, et § 34 in Timotheo exemplum tantum ponit, quam iniustum futurum esset, si, bonis eius propter patris, Cononis, crimina publicatis, eadem vindicta affines etiam attingeret: neque enim de ipso Timothei periculo cogitandum esse, arguit tempus istius habitae orationis, Ol. XCVIII. 2, quippe aliquot demum annis post rebus gerendis praeesse coepit Timotheus.

Fieri potest ut in hac disputatione non nemini videar audacius versatus esse: locus certe de προβολαῖς pluribus rationibus si muniendus videbitur, non detrectabo diligentiorem disceptatio-

nem. Nunc autem quaeramus de genere actionis, quo tres illi praetores in ius vocati fuerunt; nam quin eodem omnes, de hoc dubitari nequit (*).

§ 5.

Utrum peculiaris fuerit actio προδοσίας.

Dionysius, loco supra indicato, de Iphicrate haec dicit: *τὴν εἰσαγγελίαν ἠγώνιςαι καὶ τὰς εὐθύνας ὑπέσχηκε τῆς ςρατηγίας·* tum orationem illam appellat *περὶ προδοσίας*. Isocrates non diserte quidem hoc iudicium, sed ita prius illud *προδοσίας* fuisse dicit, ut dubium non sit quin communem rationem habuerit posterius. Plutarcho nunc non utimur. Sed errare mihi certe videtur Heffterus, qui (Athen. Gerichtsverf. p. 375. not. 21) e Plutarchi verbis hoc conficit, Timothei iudicium fuisse *εὐθυνῶν* apud Logistas, in quibus de perduellionis quoque crimine sermo esse potuisset: satis enim cognitum est, *εὐθύνας ὑπέχειν*, similesque locutiones, in genere quoque usurpari de cuiuscumque iudicii reo: in eodemque errore versatur Meierus Lit. Att. p. 222. not. 33. conf. Lysias Contr. Alcib. § 38. Con-

(*) Meieri disputationem de discipulis Isocratis, cuius indicium debeo Hoelschero Vit. et Script. Lys. p. 27, usurpare mihi non licuit.

tra, exstitisse Athenis certam actionem, quae diceretur γραφὴ προδοσίας, Ulpiani auctoritate ad Midianam p. 330 sumere videtur Boeckhius Oecon. Civ. Athen. I. p. 413, et Heffterus lib. cit. p. 150: Pollucem quoque VIII. 40 auctorem praestat Meierus Bon. Damnat. p. 13. not. 31. Sed nemo excitavit vel unum ex Oratoribus locum, quo illud demonstraretur: nec facile, credo, ullus reperietur. Ne ex Lysia quidem Contr. Philon. p. 886 recte conficietur, legem certam fuisse, quae proditionis vim et poenam definiret. Sed operae pretium est singulos Oratorum locos explorare, itaque videre quid statui possit. Primum ipsa causa Leocratis, quae profecto proditionis fuit, non videtur per γραφὴν προδοσίας constituta fuisse, sed per εἰσαγγελίαν. Lycurgi verba init. haec sunt: εἰ μὲν εἰσήγγελκα Λεωκράτη δικαίως, καὶ κρίνω τὸν προδόντα αὐτὸν καὶ τοὺς νεὼς κ. τ. λ. (*): conf. p. 139 (ταύτην τὴν εἰσαγ-

(*) In quibus postremis miror Bekkero placuisse αὐτῶν pro αὐτόν. Delendum potius est τὸν, ut in Aldina: rectius articulus additur p. 137. init. Sensus is est, qui p. 232. init. περὶ προδοσίας τούτον κρίνων. Eo, quod volo, pertinet hoc quoque, quod Lycurgi actio constabat commemoratione complurium delictorum, aut certe indiciorum; unde ista τὰ γεγραμμένα et τὰ εἰσηγγελμένα dicuntur, et ἐγγράφειν τι εἰς τὴν εἰσαγγελίαν dicitur p. 231. fin.

γελίαν ἐποιησάμην) et p. 160; ex quorum priori loco iam satis conficitur certum criminis nomen huic actioni defuisse: tum p. 140 certae et legitimae πρανόμων γραφῇ opponit orator suam actionem, cuius descriptionem, non certam appellationem, commemorat, additque tantum esse hoc facinus, ὥςε μηδὲ ἐν τοῖς νόμοις ὡρίσθαι τιμωρίαν ἀξίαν τῶν ἁμαρτημάτων, praetermissamque esse ait in legibus τὴν ὑπὲρ τῶν τοιούτων τιμωρίαν, ita ut in praesenti iudicio (igitur in causa προδοσίας) iudices simul νομοθέται futuri essent: ὅσα μὲν γὰρ τῶν ἀδικημάτων νόμος τις διώρικε, ῥάδιον τούτῳ κάνονι χρωμένους κολάζειν τοὺς παρανομοῦντας· ὅσα δὲ μὴ σφόδρα περιείληφεν ἑνὶ ὀνόματι προσαγορεύσας, μείζω δὲ τούτων τις ἠδίκηκεν, ἅπασι δὲ ὁμοίως ἔνοχος ἐςιν, in his necesse est iudicum sententiam normam esse iis, qui post erunt (p. 142.): satis manifesto argumento, nullam fuisse ex lege actionem προδοσίας. Neque quae p. 162 appellatur, ἡ ἐκ τῶν νόμων τιμωρία ulla alia est, praeter extremum supplicium quod ullis Atheniensium legibus propositum erat: conf. p. 141. Porro p. 177 primum memoratur Areopagi iudicium, quo mortis damnati essent, ὡς πολέμιοι, qui tempore cladis apud Chaeroneam patriam reliquissent; tum Autolyci condemnatio per tribunal heliasticum; postremo nobile illud Hyperi-

dis psephisma (de quo Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 64), quo proditoris nomen imponebatur ei, qui tum patriam deseruisset: atque his rebus iudicatis et populiscitis quum dicat orator τὸ ἀδίκημα τοῦτο κεκριμένον εἶναι καὶ κατεγνωσμένον (sicut κεκρίσθαι p. 217. init.), dubium esse non potest quin perpetuae de hoc crimine leges nullae fuerint. Non minus conficitur nulla lege definitam fuisse προδοσίαν, quod Leocrates hac defensione usurus erat (p. 180), non nisi ei imputari posse proditionem, qui quodcumque munus publice gereret; aut, excedere e civitate non esse proditionem (p. 185.) Accedit, quod proditorem agnosci inde demonstrat orator, quod Leocrates iusiurandum illud epheborum non servasset: quo quid esse potest magis indefinitum?

Memorabile est Phrynichi clandestina caede percussi iudicium, unius e quadringentis: quam memoriam nunc integram instaurare non attinet; sed non negligendum est quod Lycurgus tradit, (p. 217 sq.) psephisma tunc, auctore Critia, conditum esse, τὸν μὲν νεκρὸν κρίνειν προδοσίας, κἂν δόξῃ προδότης ὢν ἐν τῇ χώρᾳ τεθάφθαι, τά τε ὀστᾶ αὐτοῦ ἀνορύξαι καὶ ἐξορίσαι ἔξω τῆς Ἀττικῆς, ὅπως κ. τ. λ. Minus, puto, novum psephisma in tali iudicio conditum fuisset, si legibus definita γραφὴ προδοσίας exstitisset: neque

Hipparchi, qui aufugerat, iudicium vocaretur *περὶ τῆς προδοσίας ἐν τῷ δήμῳ κρίσις*, p. 219: neque in iis, qui Deceleam excessissent, peculiare psephisma factum fuisset, p. 221; ex quo loco non intelligo, quid moverit Heffterum (lib. cit. p. 151) ut conficeret universe iudicium proditionis apud Thesmothetas fuisse instituendum. Igitur quum nullius certae legis norma proposita esset, vere ac necessario Lycurgus haec apud iudices (p. 225), *ὑπομνήματα ἔχετε καὶ παραδείγματα τῆς ἐκείνων τιμωρίας τὰ ἐν τοῖς περὶ τῶν ἀδικούντων ψηφίσμασιν ὡρισμένα.* Quumque p. 239 complura delicta commemorat, quorum nomine de Leocrate esset suffragium ferendum, non oratorium artificium sectatur, sed vere ostendit *εἰσαγγελίαν* a se institutam esse, nec ullius nominis *γραφήν.*

Videamus de aliis. Quodsi certa lex et *γραφὴ προδοσίας* fuisset, quidni hac in ius vocabatur Philon ille apud Lysiam? qui *προδοὺς ὅλην τὴν πόλιν* (p. 886), tamen non nisi *δοκιμασίαν* sustinet in senatu. Et ne illa quidem quae praecedunt legem fuisse demonstrant, *ὅτι, εἰ μέν τις φρούριόν τι προὔδωκεν ἢ ναῦν ἢ ςρατόπεδόν τι ἐν ᾧ μέρος τι ἐτύγχανε τῶν πολιτῶν ὄν, ταῖς ἐσχάταις ἂν ζημίαις ἐζημιοῦτο*· talia enim vindicabantur iudicio *λειποταξίου.* Philon autem arguebatur

totam civitatem prodidisse, quod relicta Attica, triginta viris imperium tenentibus, habitandi et fortunarum sedem transtulisset Oropum, tum exsulibus Piraeeum occupantibus praesto non fuisset: cuius προδοσίας nullam fuisse legem, Philon sui defendendi causa memorabat, p. 887: nec nisi argumentando hanc defensionem elevare potest orator.

Ecce, Demosthenes Leptin. p. 481. init. ubi de Chabria agit, μίαν μὲν πόλιν, inquit, εἰ ἀπώλεσεν ἢ ναῦς δέκα μόνας, περὶ προδοσίας ἂν αὐτὸν εἰσήγγελλον οὗτοι, καὶ, εἰ ἑάλω, τὸν ἅπαντ' ἂν ἀπολώλει χρόνον, i. e. instituta εἰσαγγελίᾳ arguerent eum proditionis; quo nomine si certa γραφή fuisset, dixisset ἐγράφοντο. Demophanti psephisma, cuius mentio fit apud Lycurgum p. 223 et 225, quodque exstat apud Andocidem Myster. p. 47, primum diserte commemorat eos qui populi imperium tollere, aut tyrannidem affectare viderentur, neque προδοσίας vocabulum in eo deprehenditur: tum nullas certas actiones definit, quibus ista crimina persequi liceret: et quod in Lycurgo, qui tempora etiam confundit, altero loco προδιδόναι τὴν πόλιν appellatur, fit hoc oratoria libertate, minime ipsius legis auctoritate.

Tamen viri docti, ut conficiant προδοσίας γραφὴν fuisse, nonnullis locis abutuntur; veluti hoc, quod in psephismate apud Demosthenem Coron.

p. 238 dicitur, qui locum sibi in militia designatum deseruisset, sive interdiu, sive nocte, ἔνοχον εἶναι τοῖς τῆς προδοσίας ἐπιτιμίοις. Dicerem ex addito articulo (τῆς προδ.) iam intelligi non esse id nomen certae actionis; nisi unus Ms. apud Reiskium omitteret. Hoc potius dico, psephisma istud, si genuinum est, ad eadem tempora pertinere, quibus factum est Hyperidis illud psephisma, cuius modo ex Lycurgo mentionem feci, similisque argumenti esse: tum, si actio certa ex talibus psehismatis data fuisset, requiri sollemnem formulam, γραφέσθω πρὸς τοὺς θεσμοθέτας ὁ βουλόμενος. Contra, Demosthenes, ubi in Aeschinem crimina coniicit, Fals. Legat. p. 379. fin. et p. 382. nusquam προδοσίας ut certi ac definiti delicti mentionem facit: tum ibid. p. 400 med. et p. 401. init. προδοτῶν et προδιδόντων ita usurpat appellationes, non ut ex lege, sed oratorio artificio fieri appareat. Post cladem Chaeronensem ingenti adversariorum invidiae obiectum fuisse constat Demosthenem: tamen, ubi horum actiones commemorat orator, pro Coron. p. 310, numerat εἰσαγγελίας, γραφὰς et εὐθύνας, sed ita ut γραφαὶ tantum παρανόμων fuisse plane intelligantur: unde, si, quod credibile est, proditionis quoque accusatus fuit, hoc per εἰσαγγελίαν factum fuerit necesse est.

Quod delictum sanciri vidimus psephismate apud Demosthenem, idem fuerat diu ante, quum post cladem apud Aegos flumen urbem obsideret Lacedaemoniorum classis, Cleophontis, quem adversarii εἰς ἀγῶνα καθιστᾶσι, ut narrat Lysias Agorat. § 12: εἰς ἀγῶνα καθιστᾶσι, πρόφασιν μὲν ὅτι οὐκ ἦλθεν εἰς τὰ ὅπλα ἀναπαυσόμενος (id quod ἀποκοιτεῖν in psephismate dicitur: simileque crimen obiici poterat trierarchis, de quibus Xenophon narrat Hellen. V. 1. 17.) tum ἐκείνῳ δικαστήριον παρασκευάσαντες — ἀπέκτειναν ἐν τῇ προφάσει ταύτῃ. In qua narratione primum ne deprehenditur quidem προδοσίας nomen, quamquam in hanc sententiam sine dubio disputaverunt illi adversarii, tum manifestum est totum illud iudicium fuisse extraordinarium, non actionem ex certa lege et definiti criminis fuisse institutam.

Aliud est proditionis sanciendae exemplum, Timarchi psephisma, apud Demosthenem pro Coron. p. 433. init., qui βουλεύων ἔγραψε, ἄν τις ὡς Φίλιππον ὅπλα ἄγων ἁλῷ ἢ σκεύη τριηρικά, θάνατον εἶναι ζημίαν. Sed neque προδοσία appellatur, et ea ipsa forma definiendae poenae satis indicat extraordinariis εἰσαγγελιῶν iudiciis, non γραφαῖς reservata fuisse. Ne in Cephisodoti quidem, aut Chabriae iudicio, apud Demosth. Aristocr. p. 676. 10. cap. 678. init., quamquam

vere prodidisse rem publicam dicendi essent, certa actio memoratur, nec nisi εἰςαγγελία, populo auctore instituta, cogitari potest. Rursus προδοσία diserte appellatur in Melanopo, apud Demosth. Timocr. p. 740. 15, qui πονηρὸς καὶ κλέπτης ἦν, καὶ προδοσίας γε ἁλοὺς τρία τάλαντα ἀπέτισε. Sed tota rerum series arguit nullo modo sermonem esse de ea proditione, quam vulgo intelligunt, ex qua si quis damnatus esset, penitus periret. Ridiculum esset, quum proditoribus τὰ ἔσχατα ἐπιτίμια denunciata essent, quemquam e tali iudicio modice multatum discessisse. Sed diligentius haec consideranda sunt, quae leguntur in eadem Timocr. p. 745. 14. ἐάν τις ἐπὶ προδοσίᾳ τῆς πόλεως ἢ ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου συνιὼν ἁλῷ. Abutebatur his verbis, tamquam ex lege petitis, Timocrates quo suam legem defenderet, quum praecederet οὐδὲ δήσω Ἀθηναίων οὐδένα, ὃς ἂν ἐγγυητὰς τρεῖς καθιστῇ τὸ αὐτὸ τέλος τελοῦντας, πλὴν ἐάν τις κ. τ. λ. Verba ἐὰν — ἁλῷ rectissime Schoemannus Lit. Att. p. 585. not. 27 de ἀκρίτοις intellexerat, cui frustra adversatur Schaeferus. Scilicet, quod ad totius loci ipsarumque locutionum intelligentiam pertinet, non nisi de senatus condemnatione sermo est, ipsaque illa verba, e βουλευτικῷ ὅρκῳ petita, demonstrant non quaeri de iudiciali tribunalis sententia, neque de

certa actione ex lege instituenda. Non nisi de εἰσαγγελίᾳ ad senatum delata cogitari potest, per quam quum alia crimina, tum προδοσίας obiici potuerint; quumque hoc senatui concessum esset ut convictum a se vinculis traderet, ex eo ipso iam intelligitur iudicium ipsum heliasticis iudicibus, per Thesmothetas introducendum, reservatum fuisse: quae agendi ratio legitimam γραφὴν προδοσίας prorsus excludit. Quid inter utrumque intersit, cognitum est ex Aristarchi fato, qui Nicodemum interemisse dicebatur: de hoc enim tum εἰσαγγελία ἐδόθη εἰς τὴν βουλὴν (Demosth. Mid. p. 554. 11) tum γραφὴ (φόνου) instituebatur ab affinibus (ibid. p. 549. fin.) Et ut ad Melanopum illum, cuius reliquae res ignorantur (conf. Clinton. F. H. ad Ol. CII. 2.) redeamus, quominus credam eum ex iusta actione damnatum fuisse, faciunt ea quae subiiciuntur, de κλοπῆς crimine, in quo αὐτοῦ τὸ δικαστήριον κατέγνω, quod quare non addebatur in altero illo προδοσίας crimine, si quis hoc per γραφὴν persecutus esset?

Haud parum id, quod contendo, confirmatur ex alio oratoris loco, Coron. Trierarch. p. 1230. 19. Aristophon apud senatum nulla alia agendi forma uti potuit, nisi εἰσαγγελίᾳ, ut accusaret eos, qui trierarchiam aliis locassent, eorumque culpa factum esse argueret ut cladem passi essent

Athenienses in proelio navali adversus Alexandrum. Senatus non pronunciavit condemnationem, sed eos παρέδωκε εἰς τὸ δικαςήριον, καταχειροτονήσαντες προδεδωκέναι τὰς ναῦς καὶ λελοιπέναι τὴν τάξιν (ibid. 19.) In tribunali vix effugerunt mortis poenam: sed neque προδοσίας, neque λειποταξίου ea fuit actio. Simulque ex hoc exemplo discimus, quam nulla fuerit ipsius criminis (προδοσίας) definitio, nec fieri potuisse Athenis ut ulla ratio persequendi institueretur, praeter εἰσαγγελίαν.

Ceterum aliquoties προδότης, et προδοσία, et προδιδόναι τὴν πόλιν appellantur non ex sollemni iuris aut actionis formula, sed ut ex communi sermone in quocumque graviori crimine ponuntur: v. c. apud Demosth. pro Coron. p. 272. 13. p. 325. init. Fals. Legat. p. 374. 26. p. 438. init. bis. Timocrat. p. 719. 22. Theocrin. fin. Contra προδοσίας γραφὴ, ex certa lege apud Thesmothetas instituta, nusquam memoratur.

Meierus in libro de Lit. Att. III. p. 344, postquam dixisset προδοσίαν non tantum per εἰσαγγελίαν, sed per γραφὴν quoque vindicari potuisse, duo memorat inexplicabilia, ut appellat. Horum alterum hoc est, quod lege Solonis, quam postea Patroclidis psephisma confirmaverit, tyrannis iurisdictioni Archontis Regis subiecta fuerit: alte-

rum, quod ex Demosthenis aetate exempla nonnulla praesto sunt, in quibus Areopagus in causis proditionis iuris dicundi potestate usus sit, aut certe eius auctoritas in illis criminibus ulciscendis valuerit. Quod ad prius attinet, nego tale quid confirmari vel Plutarchi verbis Solon. p. 88. E., qui Solonis legem apposuit, vel verbis istius psephismatis apud Andocid. Myster. p. 37. Nam in illa lege hoc quidem dicitur, Regem praefuisse tribunalibus istis, in quibus causae caedis disceptabantur, sed verba ἢ ἐπὶ τυραννίδι ita adduntur, ut de alio genere iurisdictionis cogitare liceat, universi populi, a quo Pisistratidae fuerant eiecti. Sed ea tamen ipsa propemodum verba servarat Patroclides, quum, diu post, similis psephismatis auctor esset: in quibus tamen probata viris doctis est Luzacii correctio, ut ἢ ante ὑπὸ βασιλέων eiiceretur: sed manifesto haec verba, ἢ σφαγεῦσιν ἢ τυράννοις neque cum superioribus iungenda sunt, neque alio modo, nisi ex Soloneae legis imitatione, quamquam temporibus mutatis, adiiciuntur: neque usquam memini apud Oratores peculiare τυραννίδος crimen memorari.

De Areopagi iurisdictione quo minus Meiero concedam, facit diligens exploratio exemplorum quae afferuntur. Et de Antiphonte quidem (De-

mosth. pro Coron. p. 271.) non latere poterat Meierum, propter Dinarchi locum in Demosth. p. 46, eius criminis ζήτησιν Areopago per Demosthenis psephisma delatam fuisse, ex cuius consilii ἀποφάσει demum iste Heliaeae traditus est: de qua facinorum persequendorum ratione extraordinaria egit Schoemann. Comitt. p. 224: sed constat sane Areopagi nihil nisi praeiudicium fuisse. Similis generis alia sunt exempla: veluti eius, quem Aeschines Contr. Ctesiph. p. 643 narrat ὡς προδότην τῆς πατρίδος αὐθήμερον ab Areopago θανάτῳ ζημιωθῆναι. Hic si fuit Autolycus, (neque alium fuisse inde colligi potest, quod peculiare hoc exemplum non neglecturus fuisset Lycurgus), collato loco Leocrateae p. 177, novimus ζήτησιν et ἀπόφασιν tantum Areopagi fuisse, condemnationem Heliaeae. De Archino quodam, quem a Demosthene ἐπὶ προδοσίᾳ civitate pulsum esse memorat Dinarchus l. c. κατὰ τὰς τῆς βουλῆς (Areopagi) ἀποφάσεις καὶ τιμωρίας, constat factum esse ex eodem illo Demosthenis psephismate, quemadmodum in Antiphonte factum est.

In tota hac disputatione consilio neglexi Pollucis VIII. 40 auctoritatem, memor quam crebro is falsissima veris misceat. Quanto melius est ipsos veteres explorare, tum, quod miror ne-

gligi subinde a viris acutissimis, considerare quid ratio, et quid analogia, quam vocant, postulet. Veluti quum *ἀπατήσεως τοῦ δήμου* nulla esset *γραφή*, sed tantum *εἰσαγγελία*, quippe crimen istud eodem definitionis vitio laborabat, facile intelligi poterat ne *προδοσίας* quidem aliud esse potuisse iudicium.

§ 6.

Emendationes in Isocrate.

Pauca subiicere in animo est, de corrigendis locis nonnullis Isocratis. Primum memorabo potiora eorum, quae Hemsterhusius in margine exempli Stephaniani a. 1593 adscripta a se reliquit, omissis iis, quae confirmata nunc video auctoritate Cod. Urb. apud Bekkerum.

Orat. ad Philippum p. 83. D. *Μηδόκῳ.* Hemst. *Ἀμαδόκῳ. Harpocr. in Ἀμάδοκος.*

Ibid. p. 90. C. *εἰ καὶ ταῦτα μόνος ἂν συςῆσαι δυνηθείης.* Hemst. Leg. *ταύτας*, *illas quarum mentionem ante fecerat, quatuor urbes principes p. 88. C.*

Archidam. p. 116. B. *τὴν πόλιν ἀναξίως προφεισαμένην ἑαυτῆς.* (pro quibus Bekker. e Cod. Urbin. *ἀνάξια ψηφισαμένην*) Hemst. *legendum puto προςησαμένην.*

Archidam. p. 135. E. Quum ederetur ἀντὶ δὲ τοῦ περιόπτους ὑπὸ πάντων —, ex Harpocrat. v. περίςατος, agnovit iam Hemsterh. h. l. legendum esse περίςατος, excitaveratque Etymol. M. p. 665. 13. Nec tamen, inquit, περίοπτος, vocem haud protritam, penitus expelli velim, sed succedere potius in sedem τοῦ περίβλεπτος, quod illi interpretando a Grammaticis adhibetur: vid. Hesych. et Suid. in περίοπτον.

Panathen. p. 290 fin. τῶν γὰρ οὕτω διοικούντων τὰς ἑαυτῶν διανοίας (vulg. διηκόντων διανοίας) Fort. legendum τῶν γὰρ οὕτω δὴ ἡκόντων διανοίας.

P. 400. ad inscriptionem πρὸς Εὐθύνουν ἀμάρτυρος, haec adscripsit H.: Diog. Laert. VI. 15 in Antisthenis scriptis recenset, Ἰσογραφὴ ἢ Δεσίας ἢ Ἰσοκράτης, πρὸς τὸν Ἰσοκράτους ἀμάρτυρον. [Non deprehendi usquam haec a viris doctis explicari; nec facile posse puto. Primum ἰσογραφὴ ne Graecum quidem est: tum Δεσίας nomen plane inauditum: postremo tota comprehensio verborum non respondet ei, quod postulatur, ut index libri significetur. Fieri potest ut meliorum librorum collationes futurum editorem Diogenis in hoc loco restituendo adiuvent: interea suspicor, quum antecedat περὶ τῶν δικογράφων, ex hoc nomine per errorem effictum esse ἰσογραφή, et plenum istius libri titulum fuisse, περὶ τῶν δικογράφων ἢ Λυσίας

καὶ Ἰσοκράτης. Tentaverat iam hunc locum Wyttenbachius ad Plutarchum, ipse quoque Λυσίας substituens: meam tamen rationem servabo, donec aliquis me docuerit istud ἰσογραφὴ vel Graecum esse, vel aliquo modo corrigi posse.]

Nunc pauca mea commemorabo.

Panegyr. p. 48. C. Ubi civitatis Athenarum beneficia in reliquam Graeciam persequitur, leges quoque et iudicia ibi inventa esse dicit: δῆλον δ' ἐκεῖθεν· οἱ γὰρ ἐν ἀρχῇ περὶ τῶν φονικῶν ἐγκαλέσαντες, — ἐν τοῖς νόμοις τοῖς ἡμετέροις τὰς κρίσεις ἐποιήσαντο περὶ αὐτῶν. Iure istud ἐν ἀρχῇ non intellectum est Dobreo. Corrigo, ἑκασταχῇ.

Panathen. p. 271. B. Quum recensuisset quam superbe et iniuste Lacedaemonii helotis aliisque in re publica uterentur, haec subiungit: τούτου δ' ἕνεκα περὶ τῆς οἰκειότητος καὶ τῶν ἡμαρτημένων εἰς αὐτοὺς διὰ πλειόνων διῆλθον, ἵν' ἔρωμαι τοὺς ἀποδεχομένους ἁπάσας τὰς Σπαρτιατῶν πράξεις, εἰ καὶ ταύτας ἀποδέχονται. In his difficile est οἰκειότητος defendere. Itaque vel, ut Wolfius in Castigatt., corrigendum ὠμότητος, vel ἀνοικειότητος.

Antidos. § 39. fin. οὐ μὴν οὐδ' εἰ ταῦτ' ἔχων περὶ ἐμαυτοῦ λέγειν, οὐδ' οὕτω φανήσομαι — γεγενημένος. Restituenda est verborum constructio, legendo οὐ μὴν οὐδὲ ταῦτ'. —.

Antidos. § 77. ἐπιτιμῶ ταῖς μοναρχίαις, ὅτι δέον αὐτοὺς τὴν φρόνησιν ἀσκεῖν μᾶλλον, οἱ δὲ χεῖρον παιδεύονται τῶν ἰδιωτῶν. Cod. Urb. omittit οἱ δέ, quae sive addita, sive omissa defendi posse scio: sed corrigam εἶτα.

Antidos. § 87. ὧν ἕνεκα τοὺς ἔργον ποιουμένους τοὺς τοιούτους λόγους εὑρίσκειν τοσούτῳ χρὴ περὶ πλείονος ποιεῖσθαι τῶν τοὺς νόμους τιθέντων καὶ γραφόντων, ὅσῳ πέρ εἰσι σπανιώτεροι καὶ χαλεπώτεροι καὶ ψυχῆς φρονιμωτέρας δεόμενοι τυγχάνουσιν. In hac contentione eius facultatis, quam commendat Isocrates, cum eorum prudentia qui leges scribunt, offendit me istud χαλεπώτεροι primum, quod non posse dici puto de ipsis oratoribus: tum quod *prudentiam* (φρονιμωτέρας) maiorem in his, quam in legislatore requirit. Postremum credo additum esse, postquam prioris vocabuli vera scriptura obliterata esset, legendumque esse — σπανιώτεροι καὶ λεπτοτέρας ψυχῆς δεόμενοι τυγχ.

Antidos. § 122. In Bekk. et Dindorf. Editt. remansit vitium, contra quam in Orelliana; et pro ἀλλ' ὁ μεθ' ὑμῶν, corrigendum ἀλλὰ μεθ' ὑμῶν —. — Nec dubito quin paullo post, § 127, corrigendum sit καθιςαμένῳ et δυναμένῳ.

Antidos. § 317. οὐδὲν γὰρ ἀλλ' ἢ φανερῶς ὑμῶν αὐτῶν ἔσεσθε κατεψηφισμένοι τὴν τοιαύτην ἀδικίαν.

Postrema alienissima sunt a sententia. Corr. *τῇ τοιαύτῃ καταδίκῃ.*

Antidos. § 337. Quod crebro aliis in locis animadversum est, ex ῑ adscripto ν̄ finale factum esse, idem corrupit hunc locum: *τοῖς μὲν γὰρ μεγίςοις τῶν ἀδικημάτων ἐν ἑνὶ τῶν δικαςηρίων τὴν κρίσιν ἐποίησαν, κατὰ δὲ τούτων (τῶν συκοφαντῶν) γραφὰς μὲν πρὸς τοὺς θεσμοθέτας, εἰσαγγελίας δ' εἰς τὴν βουλὴν, προβολὰς δ' ἐν τῷ δήμῳ* corrigendum, *ἐν ἑνὶ τῷ δικαςηρίῳ.* Similis oppositio est apud Lysiam Agorat. § 65: *καὶ ἐν τῷ δήμῳ καὶ ἐν τῷ δικαςηρίῳ συκοφαντίας αὐτοῦ κατέγνωτε.* — Pariter singulare ponitur in his: Antidos. p. 315. D. *μετὰ δικαςηρίου ποιεῖσθαι τὰς τιμωρίας.* Conf. p. 319. D.

Antidos. § 340. Athenienses nuper, inquit, viris probis et integris invidere coeperunt, *πονηρῶν δ' ἀνθρώπων καὶ μεςῶν θρασύτητος ἐπεθύμησαν, οἰηθέντες ταῖς μὲν τόλμαις καὶ ταῖς φιλαπεχθημοσύναις ἱκανοὺς αὐτοὺς ἔσεσθαι διαφυλάττειν τὴν δημοκρατίαν, διὰ δὲ τὴν φαυλότητα τῶν ἐξ ἀρχῆς αὐτοῖς ὑπαρξάντων οὐ μέγα φρονήσειν οὐδ' ἐπιθυμήσειν ἑτέρας πολιτείας.* Quo pertineat *τῶν ὑπαρξάντων*, non facile, puto, quisquam explicabit. Corrigo *τὴν — ὑπάρξασαν.*

Antidos. § 343. *ἀλλὰ γὰρ αἰσθάνομαι — τὸ μὲν ὕδωρ ἡμᾶς ἐπιλεῖπον, αὐτὸς δ' ἐμπεπτωκὼς*

εἰς λόγους ἡμερησίους καὶ κατηγορίας.. Substituendum credo μακρηγορίας.

Adv. Callim. p. 383. B.: »quem vestrum non poeniteret, εἰ τὸν μὲν συκοφάντην ἴδοιτε πλούσιον γεγενημένον, ἐμὲ δ' ἐξ ὧν ὑπέλιπον λειτουργῶν καὶ τούτων ἐκπεπτωκότα; corrigendum puto, ἐξ ὧν ὑπέλιπεν λειτουργοῦντα, i. e. me autem, qui liturgiis fungor ex iis bonis, quae iste mihi reliqua fecit, his quoque excidisse.

Euthyn. p. 402. B. Niciae et Euthyni diversissimam conditionem sub XXX viris describens, haec addit: ὥςε μὴ περὶ τοῦτ' εἶναι Νικίᾳ, ὅπως συκοφαντῶν τἀλλότρια λήψοιτο, ἀλλ' ὅπως μηδὲν ἀδικῶν κακόν τι πείσοιτο. Bekkerus: »malim »μὴ μηδὲν," de quo iure mihi videtur dubitasse Dobreus. Sed miror neutri in mentem venisse primum corrigendum esse Νικίαν, tum defendi vulgatum observatione oxymori; quippe hoc dicitur, Niciam non in eo occupatum fuisse tum ut sycophantiae artibus aliena raperet, sed ut, quamquam nihil committens, tamen mulcaretur.

IV.

Quaestiones Demosthenicae.

§ 1.

Tractantur nonnulla ex Leptinea.

P. 461. med. R. Demonstraturus quanto maioris pretii sint praemia (*δωρεαί*) quae a liberis civitatibus, quam quae a tyrannis et ab oligarchiis tribuantur, hoc dicit orator: *τῇ μὲν γὰρ χρείᾳ τῇ τῶν εὑρισκομένων τὰς δωρεὰς οἱ τύραννοι καὶ οἱ τὰς ὀλιγαρχίας ἔχοντες μάλιςα δύνανται τιμᾶν· πλούσιον γὰρ ὃν ἂν βούλωνται παραχρῆμ' ἐποίησαν· τῇ δὲ τιμῇ καὶ τῇ βεβαιότητι τὰς παρὰ τῶν δήμων δωρεὰς εὑρήσετε οὔσας βελτίους.* Nemo in his offendit praeter Marklandum, qui *τιμᾶν*

nihil esse dicit, corrigitque *νικᾷν*, ut sensus sit *utilitate superiores esse possunt.* Reiskius defendit librorum lectionem, nihil suspicans quid Marklandum movere potuerit ut mutaret. Wolfius quoque sic interpretatur, *tyranni suos afficere valent maioribus praemiis, quam liberi populi, maioribus, si respexeris emolumentum eorum, qui donantur:* tum dicit, *τιμᾷν τινα* esse *aliquem donare* s. *praemiis afficere*, idemque esse *τιμὴν* et *δωρεάν*, subiectis exemplis nonnullis ex hac oratione petitis: quibus tamen exemplis non satis defenditur illa interpretatio, quippe sunt omnia ex illo genere praemiorum, quibus tunc Atheniensium civitas utebatur, quaeque potissimum continebantur inani honoris significatione et promulgatione: aliquanto aptius potuisset aliud exemplum excitare, p. 492. 11, ubi de muneribus praemiisque, quae olim Lysimacho decreta fuerant, quaeque agri ducenta iugera et pecuniae summam continebant, haec dicit orator, *ὅτι ἔθος ἦν τοὺς χρηστοὺς τιμᾷν δηλοῖ τὸ ψήφισμα τουτί.* Nihilominus primum incongruum est *τῇ χρείᾳ τιμᾷν*, cuius loquendi rationis non facile reperietur alterum exemplum: tum, quoniam liberorum populorum praemia in primis *τιμῇ* praestare dicuntur, minus convenit ut tyranni, qui illis opponantur, dicantur quocumque tandem

praemiorum genere *τιμᾶν*. Sed aliud praeterea est quod merito, ni fallor, displiceat. Quid est enim *ἡ χρεία τῶν εὑρισκομένων τὰς δωρεάς?* Sententia postulat ut sit *emolumentum quod percipiunt ii qui praemia obtinent.* Non patitur hoc grammatica ratio. Longe diversa ratione in oratione *περὶ συντάξεως* p. 173 appellantur *αἱ τῶν ξένων δωρεαί*, i. e. quae peregrinis tribuuntur. Sed *χρεία τῶν εὑρισκομένων τ. δ.* nihil aliud esse potest, nisi *emolumentum quod percipiunt tyranni ex iis qui praemia obtinent:* nec puto *χρείαν* alio modo umquam cum genitivo iungi nisi eius rei, ex qua utilitas percipienda sit. Est quoque quod in ipsa illa locutione *τῶν εὑρισκομένων τὰς δωρεάς* offendat. Primum perpetuo in hac oratione *εὑρέσθαι* aut *εὑρῆσθαι* in ea re ponitur: quamquam non ignoro praesens tempus defendi posse exemplo in Aristocratea p. 661. fin., ut *εὑρισκόμενοι* sit idem, quod *ἀξιοῦντες τυχεῖν.* Sed isto modo dicere oratorem oportebat *τῇ χρείᾳ τοὺς εὑρισκομένους τὰς δ. οἱ τύραννοι μάλιστα δύνανται τιμᾶν*, i. e. *emolumento eos qui praemia obtinere contendunt maxime possunt honorare.* Ne sic tamen concinna erit oratio; in qua non de hominibus agitur, sed praemiorum genera inter se conferuntur, ita ut hinc *τιμὴ* et *βεβαιότης*, illinc *χρεία* sit et, quod dein demon-

strat, ἀπιςία. Hinc suspicor liberandum esse locum interpolationibus, resecandaque esse primum verba τῇ τῶν εὐρισκ. τ. δ., tum verbum τιμᾷν. Sensus est: *emolumento enim tyranni et oligarchiarum principes maxime valent, potentes sunt:* i. e. quod a tyrannis exspectatur et speratur in primis emolumentum est, quo tribuendo valent: *divitem enim, quem velint, statim reddere possunt.* Minime inauditas esse interpolationes, apparet ex addito κεκτῆσθαι, p. 464. 12, ubi subintelligendum erat πολλὰ ἔχειν. In proximis corrigam παρά του δεσπότου.

P. 463. med. Ut demonstret quam levis accessio futura esset choragorum, si Leptinis lex perlata esset, »peregrinorum, dicit, ἀτελεῖς di»cem esse ponam; quamquam, ut modo dice»bam, non puto amplius quinque esse: civium »non sunt quinque aut sex: utrorumque igitur »simul sedecim: fac esse viginti, aut, si vultis, »triginta. Sunt autem universi, qui quotannis »λειτουργοῦσι, sexaginta omnino, aut paulo am»plius (i. e. tot requiruntur quotannis, ex uni»verso numero designandi") ἵνα οὖν τριάκοντ' ἄνθρωποι ἢ πλείους παρὰ πάντα τὸν χρόνον λειτουργήσωσιν ἡμῖν, τοὺς ἅπαντας ἀπίςους πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς διαθῶμεν; Reiskius tolli vult ἢ ante πλείους: et sic Dobreus. Atqui non patitur Graecus sermo,

ut τριάκοντα πλείους accipiatur pro eo, quod dicitur τριάκοντ' ἀνθρώπων προσθήκη. Rursus ἤ additum non tantum, quod Schaeferum non latuit, infringit vim ratiocinationis, sed plane evertit. Numerus triginta hominum maximus erat, quem Demosthenes concedere volebat. Igitur necesse est ut legatur τριάκοντ' ἄνθρωποι, οὐ πλείους. Ulpianus, qui locum videtur legisse omisso ἤ, veram tamen tenuit interpretationem.

P. 464. 20. *Χωρὶς δὲ τούτων νυνὶ τῇ πόλει δυοῖν ἀγαθοῖν ὄντοιν, πλούτου καὶ τοῦ πρὸς ἅπαντας πιςεύεσθαι, μεῖζόν ἐςι τὸ τῆς πίςεως ὑπάρχον ἡμῖν.* Nullo modo verba νυνὶ τῇ πόλει defendi posse puto. Primum sollemnis verborum ordo postulabat ut dativus post ὄντοιν poneretur. Tum neque nunc utroque bonorum genere utebatur civitas Atheniensium, neque universe hoc de quavis civitate dici poterat. Difficile tamen est excogitare quo modo falso inserta fuerint. Fortasse corrigenda sunt vel aliter, vel hoc modo, συνίετε ὅτι —. Post Dobrei annotationem, pronior tamen sum in eam partem, ut delenda existimem.

P. 465. 20. Otiosam esse puto Dobrei coniecturam, διήρηκεν, pro διείρηκεν. Hoc arcte coniunctum est cum adverb. sollemni in talibus rebus, διαῤῥήδην.

P. 474. 15. Qui dignus sit beneficio, aliter privatum deliberare dicit, aliter civitatem: nam, quem verbi causa privatus velit sibi conciliare affinem, legibus etiam et opinionibus definitum esse: *κοινῇ δ' ἡ πόλις καὶ ὁ δῆμος ὅςτις ἂν αὐτὸν εὖ ποιῇ καὶ σώζῃ, τοῦτο δ' οὐ γένει καὶ δόξῃ ἴδοι τις ἄν, ἀλλ' ἔργῳ.* Non accurate servari oppositionem animadverterunt viri docti. Et sane, quid huc *γένει*? quod ut defendat Schaeferus, suspicari se dicit a Leptine hac quoque ratione defensam esse legem, quod multi *ἀγενεῖς* (imo *ἀγεννεῖς*) *καὶ ἄδοξοι* immunitatem adepti essent. Non puto verum esse. Ipse cogitavi aliquando corrigendum esse *οὐκ ἔθει*· sed commoda est haec librorum lectio. Hoc enim dicit: sicut in privatorum rationibus affinitatum contrahendis, ut in coniugio, suadent certe leges ut civis *ἀςήν* uxorem ducat, non tamen huiusmodi rei rationem habere civitatem oportet.

P. 476. 27. Thasum et Byzantium qui, superiori bello cum Lacedaemoniis, prodiderant Atheniensibus, iis, quum postea patria excidissent, plura beneficia decreta sunt Athenis, *προξενία, εὐεργασία, ἀτέλεια ἁπάντων.* His igitur et horum posteris quum lex ablatura esset immunitatem, sic admonet iudices Demosthenes: »neque »illud vos lateat, turpissimum esse omnes homi-

»nes videre et audire *τὰς μὲν συμφορὰς* (i. e. ex»silium), *αἷς δι' ὑμᾶς ἐχρήσαντο οἱ ἄνδρες οὗτοι,* »*πάντα τὸν χρόνον κυρίας αὐτοῖς γεγενημένας, τὰς* »*δὲ δωρεὰς, ἃς ἀντὶ τούτων ἔλαβον παρ' ὑμῶν,* »*καὶ δὴ λελυμένας.*" Pro postremis profertur coniectura, ut videtur, Lambini, *καὶ διαλελυμένας,* quam merito neglexerunt Editores: quorsum enim illud compositum? et quo omnino *καί*? Tamen manebat *καὶ δὴ*, quod Reiskius interpretatur *iam dudum, iam pridem*, nescio quo exemplo defensum, aut quo modo cum loci sententia aptandum, si quidem nunc recens illa beneficia sublata fuissent. Wolfius, »particulas *καὶ δὴ*, inquit, »h. l. verte *paulo post donationem*, alibi *statim, continuo*:" qui etiamsi hanc interpretationem firmare auctoritate potuisset, contrario modo vim intulisset ei, quod ratiocinatio postulat: neque enim *statim* postquam ea beneficia decreta fuerant, sed satis longo tempore post auferebat Leptinis lex. Schaeferus, *καὶ δὴ*, inquit, i. q. *ἤδη*, *iam*. Hesychius T. II. c. 107. *καὶ δὴ, ἐπὶ τοῦ ἤδη.* Hoc, pace viri egregii dicam, abuti est lexicographis, si, quae ad peculiarem quemdam locum pertinent, ad quaevis alia transferuntur. Et quid *καὶ δὴ* possit esse, non ignoratur: sed huic certe loco non convenire tamdiu credam, donec melioribus exemplis de-

docear. Mihi corrigendum videtur εἰκῇ λελυμένας.

P. 485. 15. Proponitur Solonei instituti novarum legum ferendarum et explorandarum explicatio, in quo hoc erat, ut per novam legem simul vetus, quae contraria esset, abrogaretur, ἵν' εἷς ᾖ περὶ τῶν ὄντων ἑκάστου νόμος καὶ μὴ τοὺς ἰδιώτας αὐτὸ τοῦτο ταράττῃ καὶ ποιῇ τῶν ἅπαντας εἰδότων τοὺς νόμους ἔλαττον ἔχειν, ἀλλὰ πᾶσιν ᾖ ταὐτὰ ἀναγνῶναι καὶ μαθεῖν ἁπλᾶ καὶ σαφῆ καὶ δίκαια. Atqui ἀναγνῶναι est *legere*, neque hoc nunc agebatur, quum praesertim in sequentibus demum mentio fiat expositarum ad Eponymos legum, et recitationis (ἀναγινώσκειν) in concione per scribam. Abiicienda igitur praepositio est, ut fiat γνῶναι καὶ μαθεῖν, sicut γνῶναι καὶ εἰδέναι est in Philipp. IV. p. 133. 12. ubi vid. Schaeferus. Praeterea, τοὺς νόμους interpolatum videtur.

P. 489. 16. Lacedaemonii, inquit, non utuntur omnino illis praemiorum generibus, quibus nos, ἄλλαι δέ τινες παρ' ἐκείνοις εἰσὶ τιμαί, ἃς ἀπεύξαιτ' ἂν ἅπας ὁ δῆμος ἐντευθενὶ γενέσθαι. Wolfius probabat, quod nonnulli Codd. habent, ἅπαξ, merito spretum a recentissimis Editoribus. Sed quare ἅπας ὁ δῆμος? Non certe defenditur ea interpretatione quam exhibet Schaeferus. In promtu erat corrigere ἀπάσας.

P. 492. 12. Olim alio praemiorum genere usos esse Athenienses docet orator exemplo psephismatis in Lysimachi honorem conditi, sed tamen τοὺς χρηστοὺς τιμᾶν solitos esse: εἰ δὲ μὴ τοῖς αὐτοῖς οἷσπερ ἡμεῖς νῦν, ἕτερόν τι τοῦτ' ἂν εἴη. Postrema sic interpretatur Wolfius, *id nihil huc pertinet, nihil valet ad propositum nostrum.* Requiro ἕτερον τί τοῦτ' ἂν εἴη; *quid hoc diversum esset? nonne eodem hoc redit?*

P. 493. 20. Defendebat Leptines, sublatis ἀτελείαις, reliqua tamen per suam legem relinqui, quibus civitas ornare posset eos, qui digni essent. Cui orator respondit: »de eo, quod »reliquum facere dicit, tantum dico, ὅτι ἄν, ὧν »ἐδώκατέ τῳ πρότερόν τι, τοῦτ' ἀφέλησθε, καὶ τὰς »ὑπολοίπους ἀπίστους ποιήσετε πάσας δωρεάς." Nihil certe erat cur haec alia ratione interpungerentur, quam p. 492. 19 factum erat, ubi editur, δεῖξαι κἀκείνους ὧν ἔδοσάν τῳ τι τοῦτ' ἀφῃρημένους. Utrobique sane τι non ad praecedentia pertinet, sed ad sequens verbum: quo modo autem defendi possit τι τοῦτο, nescio: nec satisfacit Seagerus, ad alterum illum locum citatus. Suspicor ex falsa, quae olim obtinuerit, lectione ὃ pro ὧν, fluxisse illud τοῦτο, nisi malis utroque loco mutare in τοῦτον, quod referatur ad τῳ.

§ 2.

Emendatur et explicatur Demosthenis Midiana.

P. 515. 13. Post illam προβολὴν, in qua Midiam populus condemnaverat, multos exstitisse narrat orator qui se adhortarentur ut illam causam in iudicio persequeretur. Itaque et a se omnia iudicibus reservata esse, memorat, καὶ κατηγορήσων, ἐπειδή τις εἰσάγει, πάρειμι. Ridicule Schol. Bav. ad illa verba, εἰσαγωγή ἐςιν Ἀθήνησιν ἀρχή, de quo genere satis frequenti apud Grammaticos, notavi in Bibl. Crit. N. V. 2. p. 478. fin. Alia turbat Ulpianus, qui primum dicit tribunal sorte designatum fuisse, tum γραφὰς tradi solitas Thesmothetis, quorum tum inciperet ἀνάκρισις. Sed nemo explicuit, si omnino haec actio per Thesmothetas ad tribunal deducenda fuisset, cur indefinito pronomine τις uteretur orator, tamquam si ὁ βουλόμενος hoc facere potuisset. Huius rei explicatio coniuncta est cum universa huius causae Midianae indagatione, quam suo loco persequemur.

P. 516. 2. Propter incredibiles, quas a Midia passus esset, iniurias se in summa calamitate versari demonstrat orator, itaque sibi convenire id facere, quod ceteroquin non solerent facere accu-

satores, δεῖσθαι τῶν δικαςῶν. Εἰ μὲν οὖν παρανόμων ἢ παραπρεσβείας ἤ τινος ἄλλης τοιαύτης αἰτίας ἤμελλον αὐτὸν κατηγορεῖν, οὐδὲν ἂν ὑμῶν ἠξίουν δεῖσθαι, νομίζων τῷ μὲν κατηγόρῳ περὶ τῶν τοιούτων προσήκειν ἐξελέγχειν μόνον, τῷ δὲ φεύγοντι καὶ παραιτεῖσθαι. Schaeferus, hoc postremum καὶ explicans, dicit: »*adeo ad preces* »*descendere.* Sic καὶ δεῖσθαι vs. 8." Melius Reiskius, quamquam peccat in verborum delectu: »id est οὐ μόνον ἐξελέγχειν τὸν κατήγορον, ἀλλὰ »καὶ π." Sed rei non est ἐξελέγχειν, verum ἀπολογεῖσθαι, idque intelligi potest, ut oppositum, ex praeced. ἐξελ., nec oportet καὶ exponere *adeo*, sed *praeterea etiam.*

P. 519. 23. Nondum satisfactum est interpretationi horum verborum: ἐςὶ δὲ ὑπερβολὴ τῶν μετὰ ταῦτα ἃ μέλλω λέγειν. Recte quidem Reiskii, qui τῶν partitive exposuerat, sententiam improbat Schaeferus; sed, quo modo ipse interpretatur, per sermonis consuetudinem probari nequit: *sunt autem post facta, quae dicturus sum, supra omnem modum flagitiosa.* Scilicet, qui genitivus cum ὑπερβολὴ iungitur, vel vitii est, ut ὑπερβολὴ ἀναισχυντίας, *summa impudentia*, vel est earum rerum, aut factorum, quae *superari possunt*, ut τούτων οὐκ ἔσθ' ὑπερβολή, *ultra haec fieri nihil potest.* Atqui non cadit

haec interpretatio in praesentem locum, si quidem exponendum erat: *ea quae post facta sunt superari possunt*, itaque non gravissima omnium sunt: plane contra loci sententiam. Aptissimum est corrigere τὰ μετὰ ταῦτα· quae post facta sunt, quae dicturus sum: ea sunt ὑπερβολή, i. e. omnia superant. Et sic aliquoties ὑπερβολὴν absolute dici docebit Index Graecitatis. In hac ipsa oratione p. 554. fin. τίς οὖν ὑπερβολή; Contr. Aphob. I. p. 825. ταῦτ' οὐχ ὑπερβολή; nam quae subiiciuntur verba, δεινῆς αἰχροκερδείας, manifesto interpolata sunt, indice ipso illo adiectivo, quod propter ὑπερβολῆς mentionem prorsus inutile est: et sic Contr. Theocrin. p. 1333. 16. τοῦτο γάρ ἐςιν ὑπερβολή. Alio modo haec enunciat p. 547. fin. cf. p. 550. 10. In Dinarcho. Contr. Demosth. p. 5. eodem modo tollendum est futile additamentum, τοῦ πράγματος.

P. 521. 28. Παμμένης Παμμένου ἔπερχος. In postremo latere pagi nomen recte suspicantur Viri docti. Mihi corrigendum videtur Ἐρχιεύς.

P. 526. 18. De Polyzelo, qui proëdrum verberaverat, ὀργῇ καὶ τρόπου προπετείᾳ φθάσας τὸν λογισμὸν ἁμαρτὼν ἔπαισεν. Rectissime servat hanc lectionem Schaeferus: et utile erat monere, ἔφησεν, quod est *affirmavit*, prorsus alienum esse a totius loci consilio: non *affirmamus*, quae

excusandi causa memoramus. Et ubi Polyzelus hoc affirmasset? quem laesus ne in ius quidem vocaverit: cf. p. 527. init.

P. 529. 2. Eam esse indolem et consilium actionis *ὕβρεως* demonstrat orator, ut nullum ex ea privatum commodum percipiat actor, sed, condemnato reo, mulcta aerario cedat, quippe praeter *τὸν παθόντα* civitas quoque ipsa laesa censeatur; *καὶ δίκην ἱκανὴν τὴν τιμωρίαν εἶναι τῷ παθόντι, χρήματα δὲ οὐ προσήκειν τῶν τοιούτων ἐφ' ἑαυτῷ λαμβάνειν.* Reiskium perperam postrema interpretantem merito deserit Schaeferus, qui sententiam certe assecutus est, ut redderet, *ad semet ipsum vindicare:* quamquam requiro exempla, quibus firmetur usus praepos. *ἐπί* in illa significatione: sufficere puto casum Dativum. Tum, quod Meierus praefert, *ἐφ' ἑαυτῶν*, primum propter numerum pluralem minus commodum est, post *τῷ παθόντι*, deinde diversa sententia est, ut sit *soli*, quasi de partiendo illo lucro sermo esset. Necdum vidi, qui genitivum *τῶν τοιούτων* explicaret; quid est enim *χρήματα τῶν τοιούτων*? Requiro, *ἐπὶ τῶν τοιούτων ἑαυτῷ λ.* *in talibus causis sibi accipere.*

P. 533. 26. *Πολλῶν χορηγῶν φιλονεικησάντων οὐδεὶς πώποτε τοῦτ' εἶδε τὸ πλεονέκτημα.* Priores *εἶδε* reddiderant *animadvertit.* Sed hoc non

agebatur, verum utrum quis eorum *admisisset*. Itaque Schaeferus probat Reiskii interpretationem in Ind. Graec. p. 278, *probavit*, *amplexus*, *secutus est*, *spectavit*. Sed hoc dicendum fuerat οἶδε, quod crebro cum illo confusum hic necessario restituendum.

P. 537. 13. Exemplum commemoraturus, quo demonstret ex istiusmodi iniuria gravius quid sequi posse, ita narrat orator: ἀλλ' ἴσασιν ἅπαντες, εἰ δὲ μή, πολλοί γε, Εὔθυνον τὸν παλαίσαντά ποτ', ἐκεῖνον τὸν νεάνισκον, καὶ Σώφιλον τὸν παγκρατιαςὴν (ἰσχυρός τις ἦν, μέλας· εὖ οἶδ' ὅτι γιγνώσκουσί τινες ὑμῶν, ὃν λέγω) τοῦτον ἐν Σάμῳ ἐν συνουσίᾳ τινὶ καὶ διατριβῇ οὕτως ἰδίᾳ, ὅτι ὁ τύπτων αὐτὸν ὑβρίζειν ᾤετο, ἀμυνάμενον οὕτως ὥςε καὶ ἀποκτεῖναι. Quod Meursius et Reiskius restituere volebant, *Εὔθυμον*, eam varietatem in eodem nomine exhibent vett. Edd. Aristot. Rhetor. II, 19, 14: estque hoc nomen ex eorum genere, de quorum duplici terminatione, *νος* et *νους*, agit Ruhnken. Hist. Cr. Or. Gr. p. 42. sq. De reliquis, quae ex Meieri exemplo descripsi, multis egerunt viri docti. Sed primum, extra controversiam, *καὶ* ante *Σώφιλον* delendum est: nam eo servato, quae praecedunt, ἴσασιν ἅπαντες, ad Sophilum quoque referentur, de quo tamen ipso mox subiicitur *γιγνώσκουσί*

τινες ὑμῶν ὃν λέγω Maxima difficultas est in verbis ὁ τύπτων· quae tamen, sicuti Boeckhio, mihi quoque ideo resecanda esse videntur quoniam ex inepta interpretatione oriuntur, si quis forte nesciret διατριβὴν nunc ad ipsum luctae exercitium et lusum privatum pertinere, quod ipsum iam satis indicabatur participio παλαίσαντά ποτε. (Boeckh. Comment. p. 76. not. 1.)

P. 542. 12. Verba haec, τὴν μὲν δίαιταν ἀντιλαχὼν οὐκ ὤμοσε, quum secus, ut mihi videtur, quam oportuit interpretetur Hudtwalckerus Diaetet. p. 102. sqq., operae pretium est totum illud Stratonis negotium accuratius persequi. Pluribus locis vir eruditissimus et acutissimus hanc narrationem attigit: veluti p. 61. recte affirmat Stratonem arbitrum a Demosthene et Midia fuisse delectum, et compromisso constitutum, et tamen fuisse unum de 40 publicis Diaetetis. Quum autem in nota 2., legem, quae apposita sit in Midiana p. 545. 3., non suo loco commemorari contendit, sed a Grammatico interpositam esse, minus recte hoc argumento utitur, quod tota lex omissa sit in Codice Augustano: sic enim μαρτυρία ipsa reiicienda erit, quae pariter in illo Codice desideratur. Aliquanto firmius argumentum inde peti posse videtur, quod in ea lege controversiae tantum περὶ συμβολαίων

ἰδίων memorantur, quo certe illa κακηγορίας actio referri non poterat: tum quod dicitur διαιτητὴν ἑλέσθαι ὀντινοῦν, quae necessario de privato arbitro, non de publico dicuntur, ideoque recte hanc legem exponit Hudtwalckerus in ea parte Commentarii sui p. 177. sq. Ne Ulpianus quidem legem in suo Codice habuisse videtur; si quidem ad verba καὶ τὸν τῶν διαιτητῶν άν. νόμον longe diversam legis sententiam, scilicet de coniectura, proponit. Publicum fuisse arbitrum Stratonem, tum aliunde intelligitur, tum inde, quod sententiam pronunciavit ἐν τῷ τῶν ἀρχόντων οἰκήματι, duoque Archontes (Thesmothetae) subscribendae sententiae aderant (Demosth. Mid. p. 542. et 544:) et hunc locum (τὸ τῶν ἀρχόντων οἴκημα) addere potuisset Hudtwalckerus iis, quae collegit p. 12. sq.

Sed totam narrationem percurrere operae pretium est. Propter illas in negotio ἀντιδόσεως acceptas iniurias (Demosth. Mid. 540) δίκην κακηγορίου instituit Demosthenes in Midiam, non tamen apud magistratum, sed, ut inter ipsos convenerat, apud Stratonem diaetetam. Hic quum eum in contumaciam condemnavisset τῇ κυρίᾳ, sero diei advenit Midias, et Stratoni persuadere studet ἣν καταδεδιῃτήκει, ταύτην ἀποδεδιῃτημένην ἀποφέρειν, καὶ τοὺς ἄρχοντας μεταγράφειν (sc.

ἔπειθε.) p. 542. init. In his verbis, pro ἀποφέρειν, alteram lectionem, ἀποφαίνειν, praefert Hudtwalckerus p. 102, et interpretatur *sententiam iudicatam promulgare, et in actis deponere.* Equidem huiusmodi promulgationem in foro Attico prorsus ignoro. Contra, non cogitavit neque Hudtwalckerus, neque alii qui eamdem lectionem defendunt, aliquanto post, in eadem re, dici ἀνώμοτος ἀπενέχθη, quod ipse interpretatur p. 182, et perperam coniungit cum diversissimae rei mentione, in orat. adv. Callipp. p. 1244. 14, ubi agitur de diaetetae nomine ad magistratum deferendo, simulatque is designatus esset: (ubi paulo post ἀποφαίνεσθαι, non ἀποφαίνειν, dicitur de pronuncianda a diaeteta sentententia.) Occurret fortasse nobis, qui obiiciat locum in proximis, p. 545. 26. ubi sine ulla varietate legitur, εἰ — τὴν δίκην ἣν κατεδιήτησεν ἀποδεδιῃτημένην ἀπέφηνεν. Sed non patitur, ut mihi videtur, verbi ἀποφαίνειν usus, ut ad sententiae ab arbitro pronunciatae promulgationem referatur. Multum certe diversum est, quod Senatus, cui ζήτησις a populo mandata esset, id, quod reperisset, ἀποφαίνειν dicitur, sicut aliquoties apud Dinarchum Contr. Demosth. Contra, de diaetetis dicitur τὴν δίαιταν ἀποφαίνεσθαι (vid. Index Graec. in v.) et in orat. adv. Apaturium

p. 899 init. permutantur inter se ἀποφαίνεσθαι τὴν δίαιταν, et ἀπόφασιν ποιεῖσθαι, (quod nomen nihil video, cur nonnumquam a nonnullis ἀπόφανσις scribatur.) quod nihil aliud est nisi *sententiam pronunciare in arbitrio.* Hinc coniicio, siquidem δίαιταν ἀποφαίνεσθαι dicitur, non item δ. καταδεδιῃτημένην, aut ἀποδεδ. ἀποφαίνεσθαι, isto loco legendum esse ἀπήνεγκεν. Nec difficilis est verbi ἀποφέρειν interpretatio; siquidem non, ut Reiskius interpretatur, est *nomen damnati exhibere iudici ut aerario debentis* (dicebatur enim hoc παραδιδόναι τοῖς πράκτορσι, neque ullae erant hac in re partes *iudicis*) sed significat tradere sententiam pronunciatam duobus Archontibus qui aderant scripto consignandam aut subscribendam: videtur enim haec subscriptio requisita fuisse ad sollemnem rei iudicatae sanctionem.

Nunc videamus de illis verbis, quae initio posui. Quaeritur, quid sit τὴν δίαιταν ἀντιλαχεῖν? Hoc satis accurate definivit Schoemann. Lit. Att. Lib. IV. p. 652 et 756. sq.: et ex altero loco p. 543. 13 (ἀλλὰ τὴν μὴ οὖσαν ἀντιλαχεῖν αὐτῷ ἐξῆν δήπου, καὶ πρὸς ἐμὲ τὸ πρᾶγμα καταστήσασθαι) probatur, hanc contrariam actionem, qua reus uteretur, eiusmodi fuisse, ut non defensio esset, sed nova actio contra actorem, qua demonstra-

retur huic causam non fuisse cur reum in ius vocaret: quo ipso explicatur locutio ἡ μὴ οὖσα sc. δίκη, aut δίαιτα. Hinc ei, qui τὴν ἐρήμην damnatus esset, quum ante neque ὑπωμοσίᾳ neque παραγραφῇ usus esset, hoc unicum remedium supererat, quo se tutaretur. Qui ita rei iudicatae se subtrahere volebat, ut actoris actionem contraria actione impugnaret, primum hoc consilium iureiurando praestito significabat, eaque, ut verisimile est, ὑπωμοσία erat, quae ab eo quoque (qua analogia haec suspicio firmatur) postulabatur, qui legis aut psephismatis auctorem παρανόμων iudicio persequi destinabat. Sic recte intellexit Hudtwalckerus p. 90 et 113; quem perperam reprehendit Schoemann. Lit. Att. l. c. p. 696. not. 8. Sed in eo errat Hudtwalckerus p. 112, quod τὴν μὴ οὖσαν ἀντιλαχεῖν non nisi ei concedit, qui aut ante κυρίαν, aut eo ipso die se excusavisset quo minus in iudicio sisteret. Et miror profecto eum, quo suam sententiam muniret, remittere nos ad Demosth. Mid. p. 541. 22, quo loco nihil probatur, nisi omnia, quibus uti potuisset Midias quo minus δίαιτα perficeretur, ipseque in contumaciam condemnaretur, eum praetermisisse: tum ad orat. adv. Boeotum de Nom. p. 1006. 3, ubi memoratur sane illud, τὴν μὴ οὖσαν ἀντιλαγχάνειν, de eo, qui prius,

in ipso arbitrio, ἠντεδίκει καὶ ὑπώμνυτο, sed non attendit vir acutissimus istius interpellationis (ὑπωμοσίας) nullum eventum fuisse, et Boeotum ad postremum ἐρήμην ἐᾶσαι καταδιαιτῆσαι, plane sicut Midiam. Sed cum illo remedio, (τὴν μὴ οὖσαν ἀντιλαγχάνειν) coniunctum fuisse hoc, ut denunciaretur statim actio praestito iureiurando (ὑπωμοσίᾳ), arguit hic ipse, quem in manibus habemus, Demosthenis locus. Nam verba, τὴν μὲν δίαιταν ἀντιλαχὼν οὐκ ὤμοσεν, (quae recte sic Meierus edidit sine distinctione post ἀντιλαχὼν) unam sententiam negativam efficiunt, *non, praestito illo iureiurando, actionem* μὴ οὖσαν *instituit*. Ulpianus, contra, et Hudtwalckerus ita acceperunt, quasi dicat orator, Midiam illam actionem instituisse, sed iusiurandum non praestitisse. Veterem illum interpretem non multum curo: sed Hudtwalckerum miror in ea sententia esse (v. c. p. 104 *weil sie überall nicht recht ansahen, auf welche Weise Meidias den Straton* GRADE DURCH DAS EINWENDEN DES RECHTSMITTELS DER μὴ οὖσα δίκη *sicher gemacht habe* cet.) Nam quid tandem facit his verbis p. 543. 13. ἀλλὰ τὴν μὴ οὖσαν ἀντιλαχεῖν αὐτῷ ἐξῆν δήπου καὶ πρὸς ἐμὲ τὸ πρᾶγμα καταστήσασθαι —. ἀλλ' οὐκ ἠβούλετο? unde necessario conficiendum, Midiam non instituisse illam actionem contrariam.

Tamen perseverat in errore Hudtwalckerus p. 105. fin. sq., ubi putat, sic demum sententiam a Stratone pronunciatam tolli potuisse, si Midias illam ὑπωμοσίαν praestitisset: nec p. 106 perspexit, institui actionem illam, et ὑπωμοσίαν, unum idemque esse, quorum alterum necessario alteri insit, sicut Adv. Boeot. p. 1006. init., quamquam in diversa re, coniunguntur ἠντιδίκει καὶ ὑπώμνυτο.

In sequentibus, ubi narratur quid Midias fecerit ut Stratonem ἐπιτιμίᾳ privaret, p. 542. 18, πείσας τὸν πρυτανεύοντα δοῦναι τὴν ψῆφον κ. τ. λ., non satis mirari possum Hudtwalckerum, qui, in illa disputatione Ulpianum, credo, secutus, primum de Senatu cogitaverit, ad quem Stratonis nomen detulerit Midias, tum eam actionem εἰσαγγελίαν appellaverit. Ex ipsis verbis quae praecedunt, φυλάξας τὴν τελευταίαν ἡμέραν τῶν διαιτητῶν, intelligitur cogitandum esse de εὐθύναις, qua actione apud Logistas (conf. Meier. Lit. Att. Lib. III. p. 223. not. 37) condemnaverit Stratonem Midias.

In iis, quae quis excogitare posset quo Midiae crudelitas excusaretur, hoc quoque dicitur p. 543. 8: πάνυ γε, (i. e. concedo: agebatur tantum de exigua pecunia) ἀλλὰ δάκνει καὶ τοῦτο, ὅταν ἐκτίνειν ἀδίκως δέῃ, συνέβη δὲ ὑπερημέρῳ

γενομένῳ λαθεῖν αὐτῷ διὰ τὸ ἀδικηθῆναι. Non satisfaciunt Interpretes: nam postremum, *τὸ ἀδικηθῆναι*, quum necessario referendum sit ad damnum quod a Stratone Midias acceperit, non tamen indicatur cuius generis damnum illud fuerit. Mihi videtur excidisse quid, hoc modo supplendum, *διὰ τὸ οὐκ εἰδότα καταδιαιτηθῆναι:* ut totius loci haec sit interpretatio: *acciderat que ei ut clam se ὑπερήμερος factus esset, propterea quod inscius in arbitrio condemnatus erat:* quibus nunc aptissime, ad refutandum, subiicitur, *ἀλλ' αὐθήμερον μὲν ᾔσθετο* —: usurpaturque *εἰδὼς* in ea re, ut infra p. 544. init.

P. 547. 2. Non apparet iusta et sollemnis sententiarum iunctura neque oppositio in his: *τίς οὖν ὑβρίζων παύσεται, καὶ δι' ἃ ταῦτα ποιεῖ χρήματα ἀφαιρεθήσεται, εἰ τοῦτον ὥσπερ δεινὰ πάσχοντα ἐλεήσετε; εἰ δέ τις πένης μηδὲν ἠδικηκὼς ταῖς ἐσχάταις συμφοραῖς ἀδίκως ὑπὸ τούτου περιπέπτωκε, τούτῳ δ' οὐδὲ συνοργισθήσεσθε; μηδαμῶς· οὐδεὶς γάρ ἐστι δίκαιος τυγχάνειν ἐλέου τῶν μηδένα ἐλεούντων μηδὲ συγγνώμης τῶν ἀσυγγνωμόνων.* Conclusio ipsa arguit de nulla alia re agi, nisi de non concedenda commiseratione Midiae: neque ulla oppositio cogitari potest nisi haec: *eius, qui perpetuo ὑβρίζει, miserebit vos tamquam si gravia pateretur, is vero, qui nulla umquam*

in quemquam iniuria commissa per istum in extremam calamitatem incidit, non excitabit in vobis indignationem? quamquam, quoniam in postremo πένης appellatus est, in priori *divitis* mentio facta esse poterat. Sed, ut posterior interrogatio (εἰ δέ τις), sic etiam prior incipere debebat ab εἴ τις, non, ut nunc fit, τίς οὖν· et manifestum est, in priori coniunctionem εἰ (in εἰ τοῦτον) alienissimo loco positam esse, et exclusa ea rite tandem, in hac forma enunciandi, dici τοῦτον — ἐλεήσετε. Praeterea difficile est reperire qua ratione defendantur haec, δι' ἃ ταῦτα ποιεῖ χρήμ. ἀφαιρ., nec sine causa Ulpianus ad haec verba, τὸ μὲν ῥητὸν ἀσαφές, inquit: sed quae necessaria interpretatio verborum est, ea ipsa arguit perperam haec cum reliquis coniungi; *si Midiam absolveritis, quis alius spoliabitur pecunia, per quam peccat?* quamquam ne per se quidem hoc recte dicitur; si quidem, protervum et petulantem virum pecunia mulctare non finis erat, sed in remediis ponebatur, quibus illa petulantia coerceri posset: tum, quantum eius sententiae satis erat, supra absolverat orator, p. 546. 13. His de causis suspicor ista temere aliunde in hanc orationis partem invecta esse, totumque locum sic ad sanam rationem esse reformandum: εἴ τις οὖν ὑβρίζων μηδέποτε παύεται, τοῦτον ὥσπερ δ. κ. τ. λ.

P. 547. 13. *οἷον ἐγώ τις οὑτοσὶ μέτριος.* — Non apparet, quo consilio *ἐγὼ* pronomen ponatur: neque mox respondet *σὺ*, sed *ἕτερος οὑτοσί τις*. Potestne corrigi *οἷον ἔξω τις* —? deleto, sicut volebat Reiskius, *εἰμί*· neque enim in altero, quod subiicitur, exemplo verbum substantivum additur. Et melius convenit haec in genere dici, quam, quod Ulpianus putabat, ut se conferret orator cum Midia. Praeterea puto totam illam conclusionem, quae subiicitur, *σὺ δὴ πληρωτὴς — συλλέξασθαι*, inscite a commentatore quodam insertam esse. Quid enim opus erat? quum ante dixisset, quae ad Midiam pertinebant, *οὐδεὶς γάρ ἐστι δίκαιος τυγχ. ἐλέου — ἀσυγγνωμόνων*. Et in eo ipso vis enthymematis est, quod conclusio omittitur.

P. 549. 5. De nefariis criminibus, quibus Demosthenem circumveniri operam dederat Midias, in primis Nicodemi interemti, haec ornatissime dicit orator: *ἐγὼ μὲν γὰρ αὐτὸν νομίζω αὐτόχειρά μου γεγενῆσθαι τούτοις τοῖς ἔργοις*, (i. e. quantum in ipso erat, sustulisse, interfecisse me sua opera; quod opponitur illis criminibus, quibus Nicodemum a Demosthene per Aristarchum sublatum esse iaciebat) *καὶ τότε μὲν τοῖς Διονυσίοις* (hoc inutile glossemate, *τ. Δ.*, liberanda est castissima oratio) *τὴν παρασκευὴν καὶ τὸ σῶμα καὶ*

τἀναλώμαθ' ὑβρίζειν, νῦν δὲ τούτοις οἷς ἐποίει καὶ διεπράττετο ἐκεῖνά τε καὶ τὰ λοιπὰ πάντα, τὴν πόλιν, τὸ γένος, τὴν ἐπιτιμίαν, τὰς ἐλπίδας. Tractavit hunc locum Meierus Bon. Damn. p. 19, sed perperam in fine truncatum (minus recte dicit corruptum) verbo ἀναιρεῖν, aut ἀποστερεῖν, supplendum esse censet: vera interpretatio non latuit Schaeferum. Ne hoc quidem intellexit Meierus, ἐκεῖνα non proprie ad τὴν παρασκευὴν et τἀναλώματα referri, (quae sane illis criminationibus laedi non poterant), sed intelligendam choragiae victoriam.

P. 550. 20. Quid intolerabilius est, inquit, quam si quis χρῷτο τῷ πλουτεῖν μὴ ἐπὶ ταῦτα, ἐν οἷς μηδένα βλάπτων αὐτὸς ἄμεινόν τι τῶν ἰδίων θήσεται, ἀλλ' ἐπὶ τἀναντία, ἐν οἷς ἀδίκως ἐκβαλών τινα καὶ προπηλακίσας αὑτὸν εὐδαιμονιεῖ τῆς περιουσίας. Interpretatur postrema Reiskius, *ipse semet beatum praedicet, ipse sibimet placeat plaudatque de suis divitiis*. Novi syntaxin illam, εὐδαιμονίζειν τινά τινος· nec tamen puto huiusmodi quid in hac sententia ferri posse. Intelligeremus, si simpliciter orator dixisset, Midiam eo divitiis suis uti, ut praeter ius aliis eiiciendis et vexandis efferretur, delectaretur, voluptatem quaereret: non item, eum divitiis uti, ut se propter illas beatum praedicaret. Suspicor corrigendum

esse ἐκ περιουσίας, *ex mera protervia et petulantia, sine ulla causa:* et αὐτὸν εὐδαιμον. esse, *voluptatem sibi quaerere.* Conf. Contr. Stephan. I. p. 1122. 3. 10.

P. 551. 2. δοκιμαζομένου κατηγορεῖ. Notandum propterea, quod, ut ex seqq. apparet, eventum ea res non habuit, sed accusatio suscepta fuisse videtur in Senatu, qui quum eam non comprobaret, res non ad tribunal per Thesmothetas deducta fuit.

P. 553. 5. εἰ δὲ λαλῶν μὲν καὶ ὁμωρόφιος γιγνόμενος ὡς οὐδὲν εἰργασμένῳ φανήσεται —. Schaeferus hanc lectionem (λαλῶν) defendens, alteramque (ἁλῶν) reprobans, temere, ut mihi videtur, affirmat τῆς συσσιτίας in seqq. mentionem nullam fieri. Tamen satis manifestum est hanc intelligi ex verbo μεθ' ἡμῶν συνδεδειπνηκὼς, p. 554. 19. Mihi necessario requiri videtur adiectivum aut participium, quod, sicut ὁμωρόφιος, ad victus consuetudinem pertineat; quemadmodum Pro Coron. p. 321. 14. ὁμόσπονδος cum illo iungitur. Excogitent acutiores. Infra p. 578. med. τῶν πάνυ τούτῳ λαλούντων ἡδέως. Aeschin. Ctesiph. p. 480. ὁ νυνὶ πάντας δεξιούμενος καὶ προσγελῶν.

P. 554. 22. Quod Schaeferus suspicatur, corrigendum esse τὴν δεξιὰν οἱ ἐμβεβληκότα, pro ὡς ἐμβ., vereor ut per Attici sermonis consuetu-

dinem probari possit, in quo οἱ pro αὐτῷ vix, ut puto, deprehenditur.

P. 555. 25. Midiae turpissimas machinationes et sycophantias perstringens, quibus is se occupare studuisset, quo minus illam προβολὴν persequi sibi liceret, haec dicit in primis oratorie: *δόντα λόγον καὶ ὑποσχόντα κρίσιν περὶ ὧν ἄν τις ἐγκαλῇ, τότ' ἀμύνεσθαι τοὺς ἀδίκως ἐφ' αὐτὸν ἐλθόντας χρή, καὶ τότ', ἂν ἀδικοῦντας ὁρᾷ τις, οὐ προαναρπάζειν.* Sed in postremis languidum est illud, *si iniuriam committere videt quis*: tum ne *videri* quidem illud potest. Accedit, *τις* in his ad alium pertinere, quam prius *τις* (*ἄν τις ἐγκαλῇ*), non sane eleganter: postremo *καὶ τότ'* ita suspensum est, ut non nisi per tautologiam suppleri possit *ἀμύνεσθαι*. Requiro aliam dicendi formam, qua idem illud *ἀμύνεσθαι* gravius iteretur, cui opponatur sequens *προαναρπάζειν*. Equidem suspicor corruptam esse lectionem ex his, *καὶ τότ' ἀντιδικοῦντα τιμωρεῖσθαι, οὐ προαν.*

P. 562. 3. De Alcibiade, quem maiores *ποιήσαντες φυγάδα ἐξέβαλον*, vix defendi potest, sive hoc modo legatur, sive *π. ἄτιμον καὶ φ.* Requiro verbi participium, quod *succensentes*, *indignantes* significet.

P. 565. 2. Pulcre describit, quantum inter-

esset inter suas trierarchias, per quas trierarchi soli omnes sumtus facere debuissent, et Midiae trierarchias, quae in legem symmoriarum incidissent, ita ut trierarchi designati, qua pecunia trierarchiam locarent, eam ab iis, qui συντελεῖς dicebantur, repeterent; ὥςε αὐτῶν ἐνίοις τῇ ἀληθείᾳ τὸ μηδὲν ἀναλῶσαι καὶ δοκεῖν λελειτουργηκέναι καὶ τῶν ἄλλων λειτουργιῶν ἀτελέσι γεγενῆσθαι περίεςιν. Sed τὸ μηδὲν ἀναλῶσαι non censeri poterat in fructibus trierarchiae. Legendum τοῦ μηδὲν ἀν., quo fiat sententia et aptior et maius habeat acumen: *ex eo ipso quod nullas expensas fecissent*, ista commoda iis oriebantur.

P. 567. med. ἐπειδὴ δὲ ὁ ςρατηγὸς Φωκίων μετεπέμπετο τοὺς ἐξ Ἀργούρας ἱππέας ἐπὶ τὴν διαδοχὴν καὶ κατείληπτο σοφιζόμενος, τότε ὁ δειλὸς κ. τ. λ. De his recte quidem Schaeferus monuit apodosin incipere a verbis τότε ὁ δειλός· sed non constabit ita praecedentium interpretatio, quam viri docti sequi solent, ut κατείλ. σοφιζ. ad Midiam referatur, significetque *istum fraude agere constabat*. Nam syntactica quidem ratio suadet ut, de quo μετεπέμπετο dicatur, de eodem subiecto κατείληπτο accipiatur: tum, qui convenit ista de Midia dici? quum omnis illa calliditas diserte ab oratore exponatur. Nihil restat, nisi ut sic corrigamus: — ἐπὶ τὴν διαδοχὴν, κατ-

εἴληπτο σοφιζόμενος τότε ὁ δειλὸς — οὑτοσί, καὶ λιπὼν κ. τ. λ.

P. 567. med. ὁ ϛρατηγὸς Φωκίων. Imperatoris nomen, ubi memoratur, praeponi solet: cuius moris haec exempla sunt apud Demosthenem: Philippi Epistola p. 159. fin. Καλλίας ὁ παρ' ὑμῶν ϛρατηγός. Pro Corona p. 264. fin. Ναυσικλῆς ϛρατηγῶν. Cf. p. 265. init. Aristocr. p. 655. init. Αὐτοκλῆς ϛρατηγός. In Theocrin. p. 1334. 16. Χάρης ϛρατηγός. Duo contra haec sunt alterius rationis exempla, Fals. Legat. p. 389. med. τὸν δὲ ϛρατηγὸν Πρόξενον κομίζειν αὐτούς, ex decreti formula. Contr. Euerg. et Mnesib. p. 1154. 13. ὁ ϛρατηγὸς Ἀλκίμαχος. Non mirer si tum in Midiana interpolatum sit nomen proprium, tum in illo postremo loco ex alio eiusdem orationis p. 1163. init. Et saepe sane sine adiecto nomine memoratur ὁ ϛρατηγός, sicut Philipp. III. p. 114. fin. Aeschin. Fals. Legat. p. 111. fin. Tauchn.

P. 571. 26. Ubi narratur iudicium, quod ex προβολῇ ortum erat, quum Menippus Evandrum in ius vocasset, dicitur εἰσελθόντα (Evandrum) δὲ εἰς τὸ δικαϛήριον ἠβούλεσθε μὲν θανάτῳ κολάσαι, τοῦ δὲ προβαλομένου πεισθέντος τὴν δίκην τε πᾶσαν ἀφεῖναι ἠναγκάσατε αὐτόν, ἣν ᾑρήκει πρότερον (ἦν δὲ δυοῖν αὕτη ταλάντοιν), καὶ προσ-

ετιμήσατε τὰς βλάβας, ἃς ἐπὶ τῇ καταχειροτονίᾳ μένων ἐλογίζετο αὐτῷ γεγενῆσθαι πρὸς ὑμᾶς ἄνθρωπος. Difficile est exputare quis hanc mansuetudinem actori, Menippo, persuaserit, quum dicatur τοῦ προβαλομένου πεισθέντος. Contra, quoniam illam damni computationem non potuit non in actione sua et accusatione explicare Menippus, ipsius videtur hoc consilium fuisse, ut poena rei intra ista consisteret. Quapropter corrigendum esse puto πείσαντος· nam de pacto aut transactione inter ipsos litigantes cogitari nequit. Diversum sane est, quod narratur Contr. Euerg. et Mnesib. p. 1152. 8. ubi, in εἰσαγγελίᾳ, de qua Senatus ipse decerneret, concessit actor deprecantibus ut poena intra viginti quinque drachmas consisteret. Sed, quod Menippum in Midiana fecisse coniicio, simile est eius, quod actor de se narrat Contr. Nicostratum p. 1252. 11 se, quum res ad tribunal delata esset, in ipso criminis iudicio vicisse, καὶ ἐν τῇ τιμήσει βουλομένων τῶν δικαςῶν θανάτου τιμῆσαι αὐτῷ, ἐδεήθην ἐγὼ τῶν δικαςῶν μηδὲν δι' ἐμοῦ τοιοῦτον πρᾶξαι, ἀλλὰ συγχωρῆσαι ὅσουπερ αὐτοὶ ἐτιμῶντο, ταλάντου. Rursus, in Orat. Contr. Neaer. p. 1347. 8. narratur de actore, qui, quum res ad suffragia de poenae aestimatione venisset, rei amicis deprecantibus (δεομένοις) noluerat concedere:

concedentis contra exemplum in simili re est Contr. Nicostr. p. 1254. 25.

P. 575. 23. οὐδὲ διὰ τοὺς Μειδίου παῖδας. Quum non minus certe efficaciter, nec minus superioribus convenienter dicere potuisset τὰ Μειδίου παιδία, quaeri poterit quare illud maluerit. Suspicor in huiusmodi gravioribus sententiis oratorem operam dedisse, ut dactylum in clausula vitaret, quaereretque vel spondeum, vel trochaeum.

P. 580. 23. In illa parte orationis, in qua in Eubulum invehitur, non appellavit eum initio orator p. 580. 14 (ἣν οὗτος αὐτῷ πρὸς ἐμέ φησιν εἶναι.) Quidni igitur dicemus hic, in verbis ἔτι τοίνυν παρῆν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι καὶ ἐκάθητο Εὔβουλος ἐν τῷ θεάτρῳ, interpolatum esse nomen proprium, sicut istic in nonnullis Codd. interpositum est? Suo loco appellat eum nomine p. 581. 6.

P. 582. 2. Prorsus inauditam vim verbo ἀναπνεῖν tribuit Reiskius. Fingit orator omnium rerum et iudiciorum potestatem esse penes ditissimos illos, qualis Midias erat eiusque amici. In horum tribunal, inquit, si quis vestrum, τῶν πολλῶν καὶ δημοτικῶν ἀνθρώπων, adductus esset, ἁμαρτὼν ὁτιοῦν, si quis eum deprecaretur, putatisne istos huius rationem ullam habituros esse, nec potius dicturos τὸν δὲ βάσκανον, τὸν δὲ ὀλε-

ϑρον, τοῦτον δὲ ὑβρίζειν, ἀναπνεῖν δὲ, ὃν εἴ τις ἐᾷ ζῆν, ἀγαπᾶν ἔδει. Differt ἀναπνεῖν paulum a ζῆν, inquit Reiskius (occurrens Wolfii dubitationi:) ζῇ servus, non ἀναπνεῖ, quod solummodo libero convenit: *libere respirare* est in sermone oratorum *libere loqui quae velis.* Vellem auctoritate confirmasset: nunc perquam dubito, et corrigendum esse puto ἀντειπεῖν. Qui defenderent sese, aut alios etiam pro se deprecantes adducerent, hos odioso verbo isti ἀντειπεῖν dicerent: et hoc est illud μὴ σιωπᾶν p. 548. fin.

P. 582. 25. Si, inquit, isti amici tam graviter ferunt εἰ μὴ πλουτήσει Μειδίας, ipsi de suo ei pecuniam dent, ut vos secundum iusiurandum suffragia feratis, isti autem ex se gratificentur ei sine vestro dedecore: εἰ δ' οὗτοι χρήματα ἔχοντες μὴ πρόοιντ' ἄν, πῶς ὑμῖν καλὸν τὸν ὅρκον προέσθαι. Non apparet, quam necessarium sit participium ἔχοντες, cuius simile in sequ. ὅρκον non tantum non additur ex concinnitate, sed ne cogitari quidem potest. Leviter corrigendum arbitror ἕκοντες.

P. 586. 1. Hoc quoque notemus, verba τοὺς δικάζοντας non tantum propterea interpolata videri, quod, ut ait Schaeferus, foede τὸ ἑξῆς discerpunt, sed etiam quod, ut in proxime antecedd. εἶναι συντεταγμένοι, et mox εἶναι νεώτατοι, ita

hic cum Infinitivo ἰσχύειν nominativus potius coniungendus fuisset.

P. 547. fin. Quae improbitatis et malevolentiae dederit documenta Midias quum enumerat orator, hoc quoque commemorat, se λιποταξίου γραφῇ per eum petitum fuisse, ita ut Euctemonem mercede conduceret, qui hoc crimen Demostheni inferret. Non defendit hoc crimen orator, neque quidquam ei in seqq. (p. 550. fin.) opponit, nisi Midiam ipsum τρεῖς τάξεις λελοιπέναι, qui verbi causa λιποταξίου accusari poterat, quod trierarchus non ipse navigavisset, (quod factum in causa trierarchorum. De Coron. trierarch. p. 1230, 19.) Quapropter haud temere quis suspicetur non meram sycophantiam illam Midiae fuisse, sed vere quum ei in bello ad Tamynas militandum esset, tum domi mansisse et choragi munere functum esse. Quid? quod choreutae quoque Demosthenis ne militia excusarentur operam dedit Midias (p. 519. med.) Haec autem actio quo minus exitum haberet, inde factum esse narrat orator, quod Euctemon eam non persecutus esset, qui ita ἠτίμωκεν ἑαυτόν. p. 548. init. Non tamen credibile est vere tum ἄτιμον factum esse Euctemonem, sed oratorie ista dicta esse, quod meram accusationis proscribendae impudentiam ita vendidisset Midiae. Tamen diserte hoc memorat orator ὅτι οὐκ ἀνεκρί-

νατο τὴν γραφὴν ὁ συκοφάντης: qui fortasse eo poterit excusari, quod per ipsa illa tempora iustitium erat, nec iudicibus merces destinabatur. Hoc certo novimus ex Orat. Contr. Boeot. de Nom. p. 999. 13 ubi, mentione facta similis actionis *λειποταξίου*, propter detrectatam tempore belli apud Tamynas militiam, additur: *καὶ εἰ μισθὸς ἐπορίσθη τοῖς δικαστηρίοις, εἰσῆγον ἄν με δῆλον ὅτι.* Habemus sic exemplum iustitii in causis publicis, quod notandum propter minus accuratam, ut mihi videtur, Meieri animadversionem ad librum de Bon. Damnat. p. 190. not. 110, et Schoemanni Lit. Att. p. 154: si quidem ne Demosthenis quidem locus Contr. Steph. I. p. 1102. eorum satis firmat opinionem, qui putant in privatis tantum causis iustitium fuisse.

§ 3.

De expeditionibus Atheniensium in Euboeam.

De Atheniensium expeditionibus in Euboeam susceptis, quarum aliquoties mentio fit in Midiana, diligens et acuta est Boeckhii, viri primarii, disputatio in Actis Academ. Berolin. Histor. Philolog. 1818—1819. p. 82. sqq.: quod tanto impeditius est argumentum, quoniam qui

ordine talia tradere debuerant, Plutarchus in Phocione et Diodorus Sic. XVI., pleraque omiserunt, multaque turbavisse videntur. Si iterum indagabo, non fiet hoc quod Boeckhii disputationi diffidam, sed ut rem aliquanto planius exponam, appositis oratorum verbis ipsis, a quo instituto ipsum fortasse forma disputandi retinuit.

Duas per illa tempora expeditiones fuisse susceptas in Euboeam, nemo disertius tradit quam Aeschines adv. Ctesiph. p. 478. sqq.: primam fuisse adversus Thebanos, qui Euboeae civitates in servitutem redigere conarentur, idque bellum quinque dierum spatio fuisse confectum, civitatesque et res publicas redditas Euboeensibus. Huius expeditionis meminit Demosthenes Mid. p. 570. fin. et, quoniam adversario respondens, Pro Coron. p. 259. in eodem bello primos exstitisse ἐθελοντὰς τριηράρχους memorat, quorum se unum fuisse, apparet huc referendum esse alium Midianae locum p. 566. fin. ubi dicit orator ἐγένοντο εἰς Εὔβοιαν ἐπιδόσεις παρ' ὑμῖν πρῶται κ. τ. λ. Trierarchos autem dici ἐπιδιδόναι, intelligitur ex Aeschine Ctesiph. p. 407. cf. Demosth. Contr. Stephan. I. p. 1127. 14. Ceterum, cum eadem expeditione coniungenda est mentio βοηθείας, et trierarchiae in Orat. Contr. Euerg. et Mnesib. p. 1145. init., quum

Agathoclis Archontis mentio fiat ibid. p. 1152. 18. Hanc primam expeditionem incidisse in Ol. CV. 3. Diodoro teste satis constat: conf. Clinton. Fast. Hell. ad illum annum.

Ordine sequitur expeditio εἰς Ὄλυνθον. Nam Demosth. Mid. p. 566. fin. secundas (post primas illas) ἐπιδόσεις fuisse μετὰ ταῦτα εἰς Ὄλυνθον dicit. De quo bello post videbimus.

Postrema fuit expeditio in Euboeam, suscepta ad tuendum Plutarchum Eretriensem adversus reliquos Euboeae tyrannos, quos Philippus subornabat: conf. Voemelius Prolegom. in Philipp. I. et Olynth. § 21. Huius belli fuisse τρίτας ἐπιδόσεις dicit Demosthenes ibid., in quo proelii apud Tamynas, et Phocionis fit mentio. Eodem pertinet alius locus p. 550. fin. (τὰ ἐν Εὐβοίᾳ πράγματα, ἃ Πλούταρχος διεπράξατο.) Nec dubitandum quin in huius belli initium inciderit Midiae στρατεία, qua quam turpiter functus esset describit orator p. 558: accusavitque domum redux Midias τοὺς συστρατευσαμένους ἱππεῖς εἰς Ἀργοῦραν. Huius loci, quem a nullo vetere scriptore memoratum novi, bis in sequentibus mentio fit, primum ibid. p. 558. med. (ubi verba τῆς Εὐβοίας aut in vitio sunt, aut ex grammatici interpretatione adhaerescunt:) iterum p. 567. med. ubi narratur, quum Athenienses ob-

sidione Tamynis cingerentur, decrevisse Senatum, equites qui domi reliqui essent exire; quod quum eventum non haberet, postea tamen Phocionem arcessivisse τοὺς ἐξ Ἀργούρας ἱππέας ἐπὶ τὴν διαδοχήν. Intelliguntur sane equites, qui hipparchi munus tenente Midia cum ipso prius Arguram traiecerant, dein, quod intelligimus ex alio loco p. 578. init., εἰς Ὄλυνθον διέβησαν, quos Midias, ut videtur, deserens domum ipse rediit, commilitonesque apud populum accusavit. Habemus sic δύο τάξεις quas Midias deseruerit, de tribus quas ei obiicit Demosthenes p. 550. fin., unam quod ab exercitu in Euboea domum venit, alteram quod non cum reliquis equitibus in Olynthum traiecit: tertia erit, quod postremae quoque militiae, quum Phocion eosdem equites rursus in Euboeam arcesseret subtraxit se per triremis ἐπίδοσιν: igitur tandem ipse profectus, post rediit, non tamen una cum reliquis trierarchis: ibid. p. 568.

Videmus igitur hoc secundum bellum in Euboea gestum non brevi tempore fuisse confectum: si quidem primum equitum profectio in Arguram memoratur, tum eorumdem traiectio in Olynthum (p. 578. init.) tandem iidem revocantur non certe ante praelium apud Tamynas, sed, ut credibile est, post: quo loco animadvertendum

ipsum quoque Demosthenem primis illis temporibus in hoplitis meruisse (p. 558. med. ταῦτα γὰρ εἰς τοὺς ὁπλίτας ἡμᾶς ἀπηγγέλλετο. οὐ γὰρ εἰς ταὐτὸν ἡμεῖς τούτοις διέβημεν.) Temporis spatium satis magnum inter primam illam equitum profectionem et postremam illam, qua Phocion utebatur, equitum evocationem interfuisse, inde intelligitur, quod in illud tempus non tantum illa per Dionysia iniuria incidit, ob quam in ius vocatur Midias, sed totum choragiae, qua Demosthenes functus est, spatium; si quidem verisimile non est hunc in bello absentem chori sui rationem habere potuisse: et illo tempore bellum habuisse Athenienses, tum aliunde, tum hinc colligi poterit, quod Demosthenis choreutae excusandi fuerunt a militia: (p. 519.) Quid? si ipsum Demosthenem vacationem a continuanda militia nactum esse suspicamur, voluntaria illa choragia suscipienda.

De eodem bello haec sunt alia ex oratoribus loca. Dissuaserat bellum hoc Demosthenes, sicuti postea Ol. CVIII. 3. ipse testatur, De Pace p. 58, ubi ingentes eius sumtus et inglorium eventum deplorat. Rursus Euboicam et Olynthiacam expeditionem coniunctim memorat Orat. in Neaer. p. 1346. 14. Et perquam memorabilis locus est Demosth. adv. Boeot. de Nom. p. 999, ubi de Boeoto haec dicuntur; καὶ γὰρ

νῦν, ὅτ᾽ εἰς Ταμύνας παρῆλθον οἱ ἄλλοι, ἐνθάδε τοὺς χόας ἄγων ἀπελείφθη καὶ τοῖς Διονυσίοις καταμείνας ἐχόρευεν. Apparet primum hinc, non sine causa Midiam, quum in concionem invaheretur, in qua Demosthenis προβολή accepta fuit, dixisse ὡς ὅσοι δέον ἐξιέναι κατέμενον καὶ ὅσοι τὰ φρούρια ἦσαν ἔρημα λελοιπότες, ἐξεκλησίασαν, καὶ χορευταὶ καὶ ξένοι καὶ τοιοῦτοί τινες ἦσαν οἳ κατεχειροτόνησαν αὐτοῦ. Secundo loco monendum, inconsideratius aliquanto hoc loco fretum docere Clintonum Fast. Hell. Ol. CVII. 3. Phocionis hanc expeditionem et proelium ad Tamynas factum esse circa Anthesteria et circa Dionysia: quae festa celebrata sane sunt Phocione in Euboea absente, sed totius belli longe maiores morae fuerunt, ut modo vidimus. In simili errore versatur Westermannus Quaest. Demosth. III. p. 22: »scilicet eodem anno, quo choragiam Demosthenes gessit Athenienses a Plutarcho — in auxilium vocati sunt: mense Anthesterione Phocion exercitum in Euboeam traduxit; Demosthenes quoque quamquam dissuaserat interfuit expeditioni, sed paulo post cum Dionysiorum Elaphebolione celebrandorum tempus immineret, Athenas rediit ad choragiae munus administrandum." Satis enim, ut puto, ex ipsa Midiana demonstravi diu ante copias in Euboeam

mitti coeptas esse: in quibus quum militaret Demosthenes, tempore demum aliquo exacto videtur domum rediisse, ac tum demum choragum se professus esse: quanto autem temporis intervallo Choragorum designatio et artificum per Archontem sortitio praecederet ipsum Dionysiorum diem, certo definire non licet: verum si omnia ea, quae narrat orator p. 519. sq. intercesserunt, non sane brevissimum esse potuit, neque ista negotia eiusmodi erant, quae choragus absens aliis curanda relinquere posset; ne dicam alia quoque intercessisse, propter quae et longius intervallum illud fuerit necesse esse, et per totum illud tempus Athenis fuerit Demosthenes. Sed pergamus reliqua colligere, in quibus huius belli mentio fit.

Kruegerus ad Clintonum Ol. CVII. 3. Col. 2. affirmat bella ista, Euboicum et Olynthium, nusquam neque ab historicis neque ab oratoribus commemorata esse. In qua affirmatione diligentiam maiorem et circumspectam magis enunciationem iure quis desideret. Nam Euboicum certe hoc, Plutarchi causa susceptum, memorat satis copiose Plutarchus in Phocione. Sed ex oratoribus non certe negligendus est Aeschines Fals. Legat. p. 332. ubi de se narrat orator, *καὶ τὰς εἰς Εὔβοιαν ςρατείας ἐςρατευσάμην, καὶ τὴν*

ἐν Ταμύναις μάχην —: ubi pluralis numerus fieri potest ut propter priorem, adversus Thebanos, expeditionem usurpatus sit, sed certe proelium apud Tamynas non cum reliqua στρατείᾳ confunditur. Sed inde factum est, ut illud celebratissimum proelium accuratius describat Aeschines Contr. Ctesiph. p. 480. sq., in qua narratione totius belli animadvertendum oratorem distinguere tempora, ἐπειδὴ τάχιστα διέβητε εἰς Εὔβοιαν Πλουτάρχῳ βοηθήσοντες, τοὺς μὲν πρώτους χρόνους —, ἐπειδὴ δὲ τάχιστα εἰς Ταμύνας παρήλθομεν —: quibus satis, ut puto, confirmatur illud, quod contendo, non intra unius Phocionis ad Tamynas proelium expeditionem illam constitisse. Minus diserte idem bellum significat Aeschines adv. Timarch. p. 131, ubi Timarchus dicitur πεμφθεὶς ὑφ' ὑμῶν ἐξεταστὴς τῶν ξένων ἐν Ἐρετρίᾳ.

Nihilominus, quum deficiant historici, qui, ut recte demonstravit Boeckh. Comment. Acad. Berolin. l. c. p. 83. sqq. confuderunt illam priorem expeditionem, Plutarchi rogatu susceptam, cum altero bello, quo Phocion Ol. CIX. 4. Clitarchum in Euboea oppressit, difficile est tempus accurate definire istius apud Tamynas proelii, quae tamen una definitio controversiam de anno, quo scripta est oratio Midiana, dirimere potest.

Boeckhius p. 87. sq. acuta disputatione conficit scriptam esse orationem Ol. CVI. 4., bellum autem Euboicum ipsamque Demostheni per Midiam illatam in Dionysiis iniuriam adsignandam esse anno 3tio eiusdem Olymp.: eumque eventum obtinet demonstrando non longum tempus interesse potuisse inter προβολὴν et scriptam orationem. Hoc spatium brevissimum esse oportuisse primum inde arguit Boeckhius, quod non verisimile sit Demosthenem diu moratum esse in hoc consilio, quem facile post peculiaria crimina multa, quae in Midiam collegisset, effugere potuissent; tum longiorem moram tanto minus probabilem esse, quod orationem scriptam esse oporteat antequam de omittenda actione ipsi cum Midia convenisset. Horum argumentorum posterius continet petitionem principii: nisi enim prius demonstratum sit brevi post iniuriam remissam esse Midiae actionem a Demosthene, cogi non poterit id, quod vult Boeckhius. Prius argumentum non nisi opinione niti mihi videtur; quam contra fortasse et alia exempla sero demum institutarum actionum, et nobilissimas illas de Falsa Legatione et De Corona excitare non alienum est: sed consideranda diligentius erant ea, quae dicit orator p. 551. 13, quae vix dici potuerunt nisi ab eo, qui, ut in alia causa ante

expertus erat (p. 540. fin.) machinationibus adversarii iudicio excluderetur.

Tertium argumentum petit Boeckhius ex eo, quod, ubi ἐπιδόσεις memorantur, quae istius Euboici belli opportunitate factae essent, dicit orator τρίται νῦν αὗται γεγόνασιν ἐπιδόσεις (p. 566. fin.) atqui νῦν dici non potuisse nisi brevi postquam illa voluntaria trierarchia functus esset Midias. Non tamen nimis premendum esse νῦν, ostenditur eo, quod ab illa expeditione certe iam domum cum reliqua classe redierat Midias (p. 568. med.), quod ipsum adeo si tam recens fuisset, quid opus erat testibus confirmari? Mihi videntur illa verba νῦν αὗται pertinere eo, ut dicat orator »postremo accedo ad istam ἐπίδοσιν, qua »tantopere gloriatur Midias." (Idem adv. νῦν de remotiori tempore adhiberi, exemplo quoque est p. 556. fin. 565. 8. item 549. 7. alias dicit νυνί, ut p. 551. init.) Luculentissime profecto demonstravit Boeckhius scriptam esse orationem Ol. CVI. 4, idque, adhibitis aliis indubitatis computationibus, necessario conficitur ex illo loco orationis (p. 564. 19.) ubi diserte profitetur se 32 annos natum esse. Quod autem eas rationes attinet quibus demonstrare conatur Boeckhius tum proelium ad Tamynas, tum ipsam de qua agitur iniuriam commissam esse anno ante, igitur Ol.

CVI. 3, tum credam, si certo affirmari poterit, id, quod dicit orator p. 518. fin. τρίτον ἔτος τουτί esse *per hos tres annos*, non item *ante hos tres annos*, aut *tertio abhinc anno*. Quin hoc postremo sensu eadem loquendi forma explicanda sit Olynth. III. p. 29, Adv. Apatur. p. 894. 1. p. 900. 2. 16. et adv. Conon. p. 1257. 5. tum apud Lysiam Olea Sacr. p. 269. Pro Invalido p. 743. nemo, ut puto, umquam dubitavit. Fac altera illa ratione explicari posse, sicut De Cherson. p. 90. init. et Contr. Dionysod. p. 1283. 27 et 1288. 9. non tamen haec interpretatio narrationi conveniet. Quid enim? orietur hoc, ut, ex Boeckhii computatione, anno, postquam choragia functus esset Demosthenes, dixerit *per hos tres annos quum choragus non esset constitutus:* sed nemo ita loquitur, nisi ipsum illud, quo loquitur, tempus complectens. Non ignoro istam rationem placuisse Boeckhio Oecon. Civ. Athen. I. p. 494: sed tantum abest, ut, etiamsi per se ferri posset, congruere putem Demosthenis φιλοτιμίᾳ, quod putabat Ulpianus, ut potius quaerendum esset cur non prius vacuum munus suscepturus fuisset. Mea ratio si vera sit, reiiciendum videri possit bellum Euboicum ad Tamynas, ipsaque iniuria, quam passus est orator, in Ol. CVI. 2.

Boeckhius tamen quum intelligeret, ut puto, breviori intervallo hoc obiici posse, quod satis multa et gravia memorantur in oratione, quae post illam in Dionysiis iniuriam locum habuissent, haec ipsa explicare aggreditur p. 88. sqq. Huic igitur sententiae contrarium triplici argumento confici potest, demonstrarique ista non post, sed ante iniuriam facta esse. Primum non credibile est Midiam, quem multis locis diserte significat orator omni opera, et amicorum tum precibus tum auctoritate usum esse ut Demosthenem a persequenda actione averteret, tantas molestias ei per illud tempus suscitavisse, tamque nefaria crimina obiecisse. Levius si hoc videbitur argumentum, minus certe spernendum erit alterum, petitum ex p. 578. fin. Nam Midiae superbiam non tolerandam exagitans orator, qualem, inquit, putatis fore eum si hoc iudicium effugerit? Scire potestis ex iis, quae post *καταχειροτονίαν* egit. Quivis alius in tanti iudicii metu modestum se gessisset, nisi perpetuo, certe usque ad iudicii tempus. Non ita Midias, *ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἡμέρας ταύτης λέγει, λοιδορεῖται, βοᾷ· χειροτονεῖταί τις· Μειδίας Ἀναγυράσιος προβέβληται· κ. τ. λ.* Quid igitur? Si ista, de quibus Boeckhius agit, crimina obiicere ei potuisset Demosthenes, satis habiturum fuisse putabimus si nihil in eo reprehen-

disset praeterquam quod sollemni in concionibus superbia dicendi et conviciandi uteretur? Non puto: potiusque omni acerbitate usus esset, exprobranda illa impudentia et scelere criminationum.

Fortasse tamen (et hoc tertium est, de quo videamus) ipsa illa crimina ita memorantur ab oratore, ut necessario post illum Dionysiorum diem reiicienda sint. Ne hoc quidem defendi potest. Ubi enim earum rerum mentio fit, p. 547. fin., alia commemoraturus orator, quorum Midiam accusare possit, dicit sane »non intra ista consistit res, *οὐδ' ἀπορήσειν μοι δοκῶ τῶν μετὰ ταῦτα.*" Sed *τὰ μετὰ ταῦτα* non sunt ea, quae post acciderunt, sed *ea quae post dicturus sum:* quod explicatius dicit alio loco p. 519. fin. *τὰ μετὰ ταῦτα ἃ μέλλω λέγειν*, i. e. *cetera quae dicturus sum:* neque enim istic tempus, sed gravitas sceleris quaerebatur. Rursus, p. 548. fin. de nefariis illis criminationibus, quibus a Midia petebatur, haec dicit orator, *ἕνα ὅρον θέμενος, παντὶ τρόπῳ με ἀνελεῖν, οὐδὲν ἐλλείπειν ᾤετο δεῖν, ὡς δέον, εἴ τις ὑβρισθεὶς ὑπὸ τούτου δίκης ἀξιοῖ τυχεῖν καὶ μὴ σιωπᾷ, τοῦτον ἐξόριστον ἀνῃρῆσθαι.* In quibus verbis, si quis ista *ὑβρισθεὶς — τυχεῖν* ad iniuriam in Dionysiis acceptam et ad praesentem actionem referre cupiat, is non attendit cuncta pertinere ad exagitandam Midiae vitam ante ac

tam, omittitque hoc, ὑβρισθεὶς perquam commode referri ad illas iniurias, quas commemoravit orator p. 540. init., quasque tum κακηγορίας actione persecutus est, nec, quamquam multis Midiae artibus impeditus, a legitimo ulciscendi genere deflexit: hoc igitur ferre tum non poterat Midias, sed adversarii pertinaciam impudentia criminandi obruere sperabat. Sed videndum est quoque de his, p. 550. 10: ἐγὼ γὰρ ἐνηνοχὼς χαλεπῶς ἐφ' οἷς περὶ τὴν λειτουργίαν ὑβρίσθην, ἔτι πολλῷ χαλεπώτερον τούτοις τοῖς μετὰ ταῦτα ἐνήνοχα. In his τὰ μετὰ ταῦτα sunt sane ea *quae post facta sunt*: nam his explicandis subiicitur, scelestissimum esse istum hominem, qui ποιήσας δεινὰ — ἀντὶ τοῦ ταῦτ' ἀναλαμβάνειν καὶ μεταγινώσκειν, πολλῷ δεινότερα ὕστερον ἄλλα προσεξεργάζοιτο. Verum iterum περὶ τὴν λειτουργίαν ὑβρίσθην accipienda sunt de violenta ista τριηραρχίας ἀντιδόσει, de qua supra questus erat orator p. 539. fin. sq. Contra, si choragiam intelligimus, hoc orietur, ut dicat orator multo graviora esse ea quae post passus sit, quam illud ipsum, cuius vindictam nunc tam severa actione petat: id quod difficile est probare. Quod autem ex illis iniuriis postremum memorat orator, hoc est, (p. 551. init.) quod, quum senatorium locum sorte obtinuisset Demosthenes, hunc Midias δο-

κιμαζόμενον accusaret: quo tamen discrimine, ut videtur, tum liberatus fuit Demosthenes, repulsa per reliquos senatores criminatione. Sed satis certo statuere possumus, quum primam quamque oblatam Demosthenis vexandi opportunitatem amplecteretur Midias, tunc primum Senatorem factum esse Demosthenem, qui si legitimo anno, i. e. tricesimo aetatis, illam dignitatem petiit, consequitur ut ista omnia, de quibus agimus, non paucorum aliquot mensium, ut volebat Boeckhius, sed biennii minimum intervallo ante scriptam orationem acciderint. Et, quod postremo loco addit orator p. 552. med. ἐξελέγχεται ὕβρει ζητῶν με ἐκβάλλειν, nullo modo convenit vindictae propter καταχειροτονίαν, sed isti libidini quam perpetuo ante in veteribus illis cum Demosthene inimicitiis explicuerat Midias. Praeterea, quas Demosthenem inter et Midiam conciliare voluisse διαλλαγὰς narratur Aristarchus, p. 552. fin., non poterunt, si diligenter res inter se conferuntur, confundi cum illorum opera, qui post προβολὴν emollire Demosthenis animum conabantur: conf. p. 563. med.

Difficilius est alium locum sic interpretari, ut ne meam sententiam evertat. P. 553. fin. haec dicuntur: κἂν μὲν ἀφῶ τοῦτον ἐγὼ καὶ προδῶ τὴν ὑμετέραν καταχειροτονίαν, οὐδέν, ὡς ἔοικ', ἀδικῶ,

ἂν δ' ἐπεξίω, λέλοιπα τὴν τάξιν, φόνου κοινωνῶ, δεῖ με ἀνῃρπάσθαι. (Similis forma est loci Contr. Callicl. p. 1280. 28.) Et quoniam καταχειροτονία perpetuo in hac oratione intelligitur illud populi praeiudicium, quo Demosthenis προβολή comprobata fuerat, efficiendum erit ex isto loco, omnes illas, quibus Midias uteretur, criminationes, ortas esse post προβολήν. Necessariae verborum interpretationi vim inferre non licet. Nec tamen reticebo quid mihi de toto illo loco videatur. Narraverat modo satis copiose, quanta perfidia erga Aristarchum usus esset Midias: tum addit, ἀλλὰ μὴν ὡς ἀληθῆ λέγω (repetens omnia ista Midiae scelera) τούτων τοὺς παρόντας ὑμῖν καλῶ μάρτυρας. quos antequam producat, iterum sceleris magnitudinem extollit: καίτοι πῶς οὐ δεινόν, μᾶλλον δὲ ἀσεβές, λέγειν ὡς φονεύς, καὶ πάλιν ὡς οὐκ εἴρηκε ταῦτ' ἀπομνύναι, καὶ φόνον μὲν ὀνειδίζειν, τούτῳ δ' ὁμωρόφιον γίγνεσθαι. Quid, quaeso ad ista nunc pertinent illa ipsa, de quibus quaerimus? in quibus de se agit orator, quum non nisi de Aristarcho explicandum esset. Nihil habent haec commune cum ipso istius orationis proposito; ne ea quidem quae statim subiiciuntur (ἐγὼ δ' αὖ — ποιήσαντι.) Nam concluditur iterum, ὅτι τοίνυν καὶ ταῦτ' ἀληθῆ λέγω, κάλει μοι καὶ τούτων τοὺς μάρτυρας. Atqui ταῦτα non ad

Demosthenem, sed ad Aristarchi casum referuntur. Hoc igitur primum manifestum esse arbitror, totum illum locum (κἂν μὲν ἀφῶ — ποιήσαντι) aliunde perperam huc illatum esse: qui ne per se quidem sanus erat, nisi sublatis verbis καὶ προδῶ τὴν ὑμετέραν καταχειροτονίαν. Addo, ex illis verbis hoc necessario exspectandum esse, ut illis criminationibus Midiam in defensione usurum esse diceret orator: sed in pluribus, quae, ut solent oratores, ante denunciat Demosthenes iudicibus, quae audituri essent ex Midia, nihil huius generis memoratur: ita ut statuendum sit ista tunc ἕωλα fuisse, aut exstincta penitus, quae ne exulcerare quidem auderet Midias neque ἀντικατηγορεῖν. Itaque ea ipsa quae dicuntur p. 555. fin. pari modo intelligenda sunt. Dixerat non negligendum esse hoc, si quis sit, qui terrore et metu alium, quem laeserit, a iure persequendo avertere conetur: tum subiicit, quid postuletur: δόντα λόγον καὶ ὑποσχόντα κρίσιν περὶ ὧν ἄν τις ἐγκαλῇ, τότ' ἀμύνεσθαι τοὺς ἀδίκως ἐφ' αὐτὸν ἐλθόντας χρή, — οὐ προαναρπάζειν οὐδ' ἐπάγοντ' αἰτίας ψευδεῖς ἄκριτον ζητεῖν ἀποφεύγειν. Pertinent enim haec quoque ad veteres illas a Midia acceptas iniurias, et ad illa quae narrat orator p. 540. fin. ἀλλὰ λαχὼν ἐξούλης πάλιν οὐδέπω καὶ τήμερον εἰσελθεῖν δεδύνημαι· τοσαύτας τέχνας

καὶ σκήψεις οὗτος εὑρίσκων ἐκκρούει. Redit denuo ad acceptas per choragiae tempus iniurias ibid. p. 555. fin. (ὅσα μὲν τοίνυν κ. τ. λ.)

Sed nihil magis contrarium est illis nefariis criminationibus, si quis eas post προβολὴν a Midia adhibitas esse putet, quam ipsius Midiae animus, qui multis locis per hanc orationem depingitur, quemque non quidem demissum esse dicit orator, sed Midiam ita se comparare, ut misericordiam iudicum excitare posset. Quid, quod etiam operam dedit Midias ut pecunia corrumperet Demosthenem, idque perfectum esse gloriabatur? quo pertinent haec verba p. 578. med. ὅθ' οὗτος, ὡς ἀπήλλαγμαι, περιιὼν ἐλογοποίει.

In Boeckhii demonstratione hoc mihi displicet, quod p. 90 Aristarcheum negotium haud ita multum post iniuriam in Dionysiis accidisse affirmat, si ipsius rerum expositio vera sit. Nempe haec vera esse potest; nec tamen inde temporis illa definitio sequitur. Quod autem addit, eodem fere tempore Apollodorum in iudicio παρανόμων damnatum fuisse (orat. contr. Neaer. p. 1346. sq.), equidem praestare non ausim. Coniuncta est huius rei consideratio cum definitione temporum belli Euboici et Olynthici, tum cum historia pecuniae theoricae. Apollodori rogationem de mutanda pecunia theorica in militarem vix

post Eubuli legem latam esse concedi potest, qua lege mortis poena ei constituebatur, qui eiusmodi quid tulisset: nam Stephanus ipse, qui eum in ius vocabat, non nisi pecunia multabat. De ipsa illa Eubuli lege (quam non nisi ex Libanii argum. Olynth. I. § 2. et Ulpiano ad Olynth. I. p. 13 cognitam habemus) difficile est suspicari quo tempore perlata fuerit: sed temere Boeckhium puto (Oecon. Civ. Athen. I. p. 194) tradere, ipsum Eubulum legem suam abrogandam tulisse; qui, contra, ut manifesto ex Demosthene Fals. Legat. p. 434 apparet, non nisi oratorio hoc artificio usus est in illa concione, in qua de pace agebatur, ut aut ingentes bellicos sumtus suscipiendos esse, aut Philocratis psephisma probandum diceret. Ceterum, si coniicere licet, vix credibile est latam fuisse illam Eubuli legem tunc, quum ipse, sicut Midias, in Plutarchi gratiam postremam illam expeditionem Euboicam suaderet: conf. Schol. ad Demosth. Fals. Legat. l. c.: magisque credibile est legem hoc consilio fuisse comparatam, ne valide Philippo resisterent Athenienses. Quidquid eius rei sit, quaerenda est definitio temporum belli Euboici et Olynthici in oratione Contra Neaeram. Cuius loci si reliqua spectantur, in quibus de Philippo debellando dicitur, deque servandis sociis, quorum fides reti-

nenda esset, haud alienum videtur primas intelligi expeditiones quae susciperentur ad Philippi conatus cohibendos, itaque et primum bellum Euboicum Ol. CV. 3, et bellum apud Olynthum, Chersonesi reliquorumque servandorum causa susceptum. Vix enim dubium est alia tempora esse cogitanda, praeter ea qnae designantur a Demosthene Aristocr. p. 678. med. *ἐβοηθοῦμεν εἰς Εὔβοιαν, καὶ Χάρης — εἰς Χεῤῥόνησον ἐξέπλει.* ex quo bello mox sociale ortum est. Itaque prima illa, quae in Midiana memoratur expeditio versus Olynthum, propter Amphipolin, in eumdem annnm incidit, in quem prior Enboica expeditio. Temporum historiam perseqnitnr Voemelins Prolegom. in Philipp. I. et Olynth. § 18. Neque hoc spernendum est, eiusdem expeditionis, ut videtnr, tempora ordine certe ante iniuriam in Dionysiis acceptam, itaque ante postremam expeditionem Euboicam, commemorari ab Aeschine Ctesiph. p. 440. sq.: nam vetera obiiciens adversario, quibus eum odiosnm iudicibus reddat, primnm commemorat illam *τραύματος γραφήν*, qnam in Demomelem consobrinum instituerat Demosthenes; tum *τὰ περὶ τὴν Κηφισοδότου ϛρατηγίαν καὶ τὸν τῶν νεῶν ἔκπλουν τὸν εἰς Ἑλλήσποντον·*, quum Demosthenes, qui *τριήραρχος* illum praetorem circumvexisset, mox in *εἰσαγγελίᾳ* eius accusator ex-

stitisset: tum postremo loco demum addit, *καὶ ταῦτα ἤδη τὰ περὶ Μειδίαν καὶ τοὺς κονδύλους κ. τ. λ.* Cephisodoti imperium interpositum fuit inter Timothei et Charetis imperia, quorum ille cum classe profectus est ad Amphipolin et in Chersonesum, Ol. CV. 1: Chares imperium tenuit succedens Chabriae, qui apud Chium periit Ol. CV. 3. quantum conficere licet ex rerum serie quae explicatur apud Demosthenem Aristocr. p. 668. fin. usque ad p. 678.

Ut ad Aristarcheum negotium redeamus, ordine quidem prius fuit, quam illa *λιποταξίου γραφή*, et post utrumque scelus demum memoratur hoc, Midiam insimulavisse Demosthenem ut *τῶν ἐν Εὐβοίᾳ πραγμάτων αἴτιον ὄντα.* Mid. p. 550. fin. Quaeri potest, quae *πράγματα* intelligenda sint? Sumit Boeckhius p. 82. fin. intelligendum esse scelus Plutarchi, qui Athenienses decepisset, (nempe post bellum ad Tamynas) quapropter eum postea a Phocione pulsum et fugatum esse. Atqui illa defectio Euboeae, quae Plutarcho et Hegesilao tribuitur (vid. Ulpian. ad Demosth. Fals. Legat. p. 434. med.) non quidem satis definita est in historia, quo anno acciderit, sed certe post reditum classis ex Euboea locum habuerit necesse est, qui memoratur Mid. p. 568 med. [Si igitur ipsa *βοήθεια* in Euboeam, in Plutarchi gra-

tiam, quamquam dissuadente Demosthene, suscepta, in 8vum mensem Ol. CVI. 3 incidit, sicut putat Boeckhius p. 87. fin., quomodo et bellum illud gestum, et proelium apud Tamynas commissum, et mora aliqua interposita classis eodem tum proficisci, tum redire domum potuit, antequam eodem anno in δοκιμασίᾳ accusaretur Demosthenes a Midia, ita ut interea etiam nova illa scelera Plutarchi prodierint? Tamen Boeckhius utramque expeditionem, et eam qua opem Plutarcho ferebant Athenienses, et alteram quae contra eum mittebatur, in idem breve spatium quatuor mensium Ol. CVI. 3. includit (p. 84. med.,) itaque paulo ante ipsam scriptam orationem, id quod concedi nullo modo posse videtur: neque hoc Boeckhium ipsum fugisse arbitror, qui (Oecon. Civ. Athen. II. p. 110) de postrema illa expeditione dicit, *aliquanto post* (*späterhin*) Plutarchum a Phocione fugatum esse: neque ullam temporis definitionem invenit Voemelius l. c. p. 80. Postremo, nullum deprehendi harum rerum indicium in Midiana affirmari posse puto. Primum enim verbis illis p. 550. fin., *τῶν ἐν Εὐβοίᾳ πραγμάτων*, non ipsa illa Plutarchi fraus indicari potest, sed discordiae et turbae inter Euboeae civitates, et tyrannos, quorum alii Philippi, Plutarchus autem Atheniensium auxilia

implorabat, ex quo prior illa expeditio suscepta est: neque alio modo loquitur ea de re orator, De Pace p. 58, ἐπειθόν τινες ὑμᾶς τῶν ἐν Εὐβοίᾳ πραγμάτων ταραττομένων βοηθεῖν Πλουτάρχῳ. Et profecto satis erat hoc molestiarum, quarum culpam a se averteret Demosthenes, quod difficili statim bello implicatus fuisset Phocion, et apud Tamynas loco impedito inclusus vix admirabili artificio hostes repulisset. Atque huius discriminis culpam tamen Demostheni tribui tunc potuisse, colligimus ex Aeschine Ctesiph. p. 480, ubi totum illud Calliae Chalcidensi imputatur, ὃν Δημοσθένης μισθαρνῶν ἐνεκωμίαζε· quae autem ibid. p. 482 reliqua narrantur de Callia isto et Clitarcho multo post accidisse, nemo est qui non videat. Sed ne alter quidem locus, quem Boeckhius eodem pertinere putat, isto modo interpretandus est. Nam, quod de priore nunc etiam loco non negligendum est, verba illa τὸ πρᾶγμα γενέσθαι πᾶσι φανερὸν διὰ Πλουτάρχου γεγονός, nemo sanus de Plutarchi defectione acceperit, sed pertinent ad discrimen illud apud Tamynas, in quod tum Phocionis copiae adductae fuerant. Quum autem Midiam post προβολὴν et καταχειροτονίαν insolenter se gessisse obiicit Demosthenes (p. 579. init.), ita ut amici quoque, quum de magistratu ageretur, eum commendarent, et iac-

tarent ista, *Πλουτάρχου προξενεῖ·* haec ita interpretatur Boeckhius p. 91. init., primum ut commemoretur istud a Demosthene postquam Plutarchus Atheniensibus invisus factus esset; tum ut acerbitas exprobrationis nulla cogitari possit, nisi brevi ante hac gloriatione usus fuisset Midias: itaque et auxilium Plutarcho latum, et eius perfidiam, et scriptionem orationis non nisi brevi intervallo temporis seiuncta esse posse. Mihi contra videtur, si tunc iam Plutarchi perfidia, quam post ultus est Phocion, prodiisset, multo acerbius istam Plutarchi amicitiam Midiae obiecturum fuisse Demosthenem. Porro non de multum praeterito tempore loquitur orator, qui istis subiiciat, non *καὶ ταῦτα πάντα ἐποίει*, sed *ποιεῖ*, praesentem eius morem et habitum describens, qui non certe cadebat in mutata tempora, postquam constitisset quam perfide Athenienses tractavisset Plutarchus. Propterea concedere non possum oratorem subindicare illam Plutarchi defectionem, quae si vere accidisset ante scriptam orationem, habuisset sane Demosthenes gloriandi opportunitatem, quod ipse totius expeditionis Euboicae dissuasor exstiterat. Sed qui inquirit in illam de Plutarchi perfidia traditionem, (ut hoc in transitu attingam) is nullam reperiet auctoritatem a viris doctis indicari (Boeckhio Oecon. Civ.

Athen. II. p. 110. not. 370. Voemelio l. c. p. 80. sq.) praeter duo Ulpiani loca, unum ad illa Midianae verba p. 550. init. διὰ Πλουτάρχου γεγονός· ad quae sic annotavit, ὅτι Πλούταρχός ἐςιν ὁ ἀποςήσας τὴν νῆσον καὶ δῆλον ἔκ τε τοῦ τοὺς ὑμετέρους ςρατιώτας αὐτὸν παραδοῦναι τοῖς μισθοφόροις τοῖς ἑαυτοῦ πρὸς τὸ ἐκτίσαι τὸν μισθόν· alterum ad illa verba Orat. Fals. Legat. p. 434, ubi de Hegesilao, οὗτος εἰς Εὔβοιαν ἐπεςρατήγησε, ὅτε τῷ Πλουτάρχῳ τὴν βοήθειαν ἔπεμψαν Ἀθηναῖοι, ὡς εἶπεν ἐν Φιλιππικοῖς· ἐκρίθη δὲ ὡς συνεξαπατήσας τῷ Πλουτάρχῳ τὸν δῆμον. Non apparet in his Plutarchus per Phocionem fugatus: sed exhibet hanc historiae partem Plutarch. Phocion. cap. 13. fin. Semel Plutarchi mentionem facit ipse orator, Philipp. III. p. 125, his verbis: ἀλλ' ἐν Ἐρετρίᾳ, ἐπειδὴ, ἀπαλλαγέντος Πλουτάρχου καὶ τῶν ξένων, ὁ δῆμος εἶχε τὴν πόλιν καὶ τὸν Πορθμόν —. Quod si, ut probare necesse est, post reditum ab Euboea Midias ista iactantia usus est, dicendum sane est nondum tum Plutarchum Eretria fuisse expulsum: contra, bellum tractum fuisse inde colligas, quod Molossus adeo memoratur a Plutarcho Phocion. c. 14, Phocionis successor. Et, ut dicam quod sentio, totum hoc de victo per Phocionem et eiecto Plutarcho, in eiusdem expeditionis historia, unius Plutarchi

historici errori debetur, qui multum diversam Phocionis expeditionem, Ol. CIX. 4. qua Clitarchum tyrannum Eretria eiecit, cum illa priori confudisse videtur: tantum absum ut Boeckhii opinioni assentiar in Oecon. Civ. Ath. II. p. 111. not. 378. proditae. Ne verisimile quidem est Plutarchum, cui ipsi tum auxilia tulissent Athenienses, per eosdem fuisse expulsum, qui cum Callia Chalcidensi, quem apertum in eo bello hostem habuissent, διελύσαντο, ut tradit Aeschines Ctesiph. p. 482. Itaque quum diserta historiae testimonia desint, haud alienum erit statuere, per illam Phocionis expeditionem vires rediisse partibus popularibus Eretriae, hosque ipsos postea Plutarchum et mercenarios eiecisse.

Nunc redeamus ad senatoris δοκιμασίαν, in qua accusator exstiterat Midias. Quod quare aliquanto longius a scriptae orationis tempore reiiciam, dixi supra. Sed accedunt aliae rationes. Boeckhius enim p. 91. suam ut servaret interpretationem, necesse habuit tum ipsam Demosthenis senatoriam dignitatem, tum reliqua quoque munera, quibus Demosthenes functus erat, Architheori Iovi Nemeo, et ἱεροποιοῦ σεμναῖς θεαῖς, in eumdem annum includere: itaque ut reliqua convenirent, ludos Nemeos intelligendos esse contendit aestivos, qui in secundum mensem 4ti Olympia-

dis anni inciderent: qua computatione id obtinuit, ut haec omnia, quae sic neglexisse dicatur Midias, fuerint post iniuriam in Dionysiis acceptam, itaque brevi ante orationem scriptam. Mihi contra nullo modo hoc postulari in rerum ipsarum aestimatione videtur, tum sumtis Nemeis hiemalibus, qui in 2dum Olympiadis annum incidebant, commode illos honores reiici in Ol. CVI. 2, qui annus Demostheni fuit senatorius.

Ex iis, quae hucusque disputavi, haec per ἀνακεφαλαίωσιν repeto, 1°. recte videri annum scriptae orationis poni Ol. CVI. 4. 2°. criminationes, quibus Midias Demosthenem petiit, omnes collocandas esse in eo temporis intervallo, quod fuit ante iniuriam in Dionysiis acceptam, 3°. Senatorem designatum fuisse Demosthenem Ol. CVI. 1., quo anno trigesimum aetatis videtur attigisse. 4°. expeditionem in Euboeam, duce Phocione, susceptam esse Ol. CVI. 3, sed bellum illud diutius tractum esse, cuius ne finis quidem in Midiana memoretur.

Restat ut alia persequamur; et primum quidem de expeditione adversus Olynthum, quae bis in Midiana significari videtur, p. 566. fin. et p. 578. init. Hanc intelligendam esse alio quoque loco, Contr. Neaer. p. 1346, constat inter viros doctos; indidemque colligitur hoc con-

silium tunc secutos esse Athenienses, ut sua in Thracia et Chersonneso et insulis servarent, tum ut Philippum, ista omnibus rationibus vel aggredientem, vel ab Atheniensium societate avertentem, debellarent. Sed temporis definitio laborat. Quae istic reliqua tum habebant Athenienses numerantur ibidem, Lemnus, Imbrus, Scyrus et Chersonnesus; deque his tum metus erat ne amitterentur, quum expeditio in Euboeam et Olynthum suscipiebatur. Atqui Philippum aggressum esse eas certe insulas, easque vexasse Ol. CVI. 2, non opus est demonstremus post accuratam Voemelii disputationem in Prolegom. cit. p. 72—74: quod quare confundatur cum iis, quae Diodorus Sic. XVI. 21. tradit, initio belli socialis per Chios et Rhodios et Byzantios commissa esse, non video. Hoc tamen vix dubitari posse puto: expeditionem illam, cuius in Orat. Contr. Neaeram mentio fiat, susceptam aut certe destinatam fuisse antequam Philippus ista, de quibus metuerent Athenienses, aggressus esset. Quumque ea rerum gestarum series apud Diodorum l. c. sit, ut omnia concludat mentione iudicii, quo Iphicrates et Timotheus damnati sunt (Ol. CVI. 3,) necesse est ut intelligamus in Orat. Contr. Neaeram illud bellum, quod facto et nomine Sociale fuit, animo autem et destinatione

adversus Philippum erat, susceptum Ol. CV. 4. Hinc, quoniam εἰς Εὔβοιαν praeponitur, satis tuto conficere licet, eam quoque expeditionem in Euboeam cogitandam esse quae Ol. CV. 3. auctore Timotheo profecta est. Eamdem interpretor in Philipp. I. § 17. p. 44. ubi perperam Schol. intelligit alteram, Ol. CVI. 3. susceptam, non cogitans Demosthenem hanc certe non memoraturum fuisse ut exemplum rei promte et feliciter gestae.

Nimirum nullo certo et constituto nomine bellum illud ab oratoribus appellatur (συμμαχικοῦ appellatio ab historicis fluxit), quod ab Aeschine, qui totum illum tractum temporis designat usque ad pacem Philocrateam (Ol. CVIII. 2. 3.), appellatur ἐν ῷ πρὸς Φίλιππον ὑπὲρ Ἀμφιπόλεως ἐπολεμοῦμεν. Ctesiph. p. 442. Atque sic diu post hic orator, dudum cognitis Philippi artibus. Tum, quum Demosthenes Midianam scribebat, nondum quidquam mali ab eo metuisse videntur Athenienses: itaque quum rex coniunctis viribus cum Olynthiis Potidaeam oppugnaret (Ol. CV. 3.), rectissime, quae anno fortasse post navigaret, βοήθεια εἰς Ὄλυνθον appellari potuit, qua Chares abusus aliique duces Socios potius quam hostes bello persecuti sunt. Ideo temere mihi videtur Boeckhius Comment. Acad. Berol. l. c. p.

85. init. Olynthiacam hanc expeditionem Ol. CVI. 3tio anno assignare. Hoc concedi oportet, bellum istic continuatum fuisse diutius, etiam postquam sociale, quod dicitur, bellum compositum esset, propterea quod in Midiana p. 578. init. equites ex Euboea, ut videtur, missi memorantur ἐπ' Ὄλυνθον, quamquam nusquam certae cuiusdam βοηθείας neque annus, neque dux memoratur. Et constat aliunde, inde a Diotimo Archonte Ol. CVI. 3 tempora computari per quae Philippus Graecis infesta consilia explicuerit: Philipp. III. p. 117. med. conf. Clinton. F. H. ad Ol. CVI. 4.

Quae res autem neminem videtur advertisse, haec est, quod ante iniuriam in Dionysiis acceptam legem περὶ συμμοριῶν tulit Demosthenes. Non tantum enim diserte de praesenti συντελειῶν conditione et natura conqueritur orator Mid. p. 565. init., sed quum p. 576 dicit, se a nullo alio oratore adiuvari, ἀλλ' ἁπλῶς κατ' ἐμαυτὸν ἔγνων καὶ λέγειν καὶ πράττειν, id non alio nisi ad illius legis lationem referri posse puto. Atqui oratio περὶ συμμοριῶν habita est, si Dionysium Halic. sequimur, Ol. CVI. 3 (conf. Clinton ad illum annum.) Quamquam nolo reticere suspicionem hanc, temporis definitionem a Dionysio accommodatam esse ei computationi, qua Demosthenis annum natalem

posuit Ol. IXC. 4. quam computationem post Boeckhium, diligenter evertit Westermannus de auctore Vitt. X Orat. p. 17. sqq. Quae suspicio si vera est, consequitur Dionysium id quod vulgo traditum fuisse videtur (conf. Gellius XVI. 28.), Demosthenem anno aetatis vigesimo septimo primas actiones publicas scripsisse, eadem falsa computatione corrupisse, itaque, ut cetera convenirent, ad Callistrati Archontis annum (Ol. CVI. 2.) retulisse Epist. ad Amm. Vol. VI. p. 724. R. Quodsi Androtianeam verbi causa percurrimus, nullum habitae orationis tempus definitum deprehendimus praeter expeditionis Euboicae primae Ol. CV. 3, cuius tum ita, tum tam recens significatur memoria, ut haud alienum sit suspicari eam orationem anno post illam expeditionem potius, quam triennio post scriptam esse, i. e. eo anno, quum nondum vigesimum septimum aetatis annum explevisset Demosthenes. Ne de Leptinea quidem tam constat, quam Wolfio videtur Prolegom. p. 62, scriptam esse Ol. CVI. 2; quae commode assignari potest anno post Chabriae interitum, qui accidit Ol. CV. 3.

Boeckhii rationibus, quibus recte, ut mihi videtur, Demosthenis annum natalem definivit, quae nova opponi possint, ignoro, necdum quantum scio, Kruegerus explicuit, qui eius rei men-

tionem iniicit ad Clintonum p. 361. not. d. Sed, quo Boeckhiana computatio firmetur, non negligendum hoc esse opinor, quod Demosthenes Coron. p. 230 fin. dicit, se initio belli Phocensis nondum res publicas tractasse (*τοῦ Φωκικοῦ συςάντος πολέμου — οὐ δὶ ἐμέ, οὐ γὰρ δὴ ἔγωγε ἐπολιτευόμην πω τότε*) conf. ibid. p. 245. med. Atqui bellum Phocense initium habuit Ol. CVI. 2, quo, si natus esset Demosthenes Ol. IXC. 4, attigerat vigesimum sextum aetatis annum; quumque istius belli causae anno certe ante fuerint excitatae, affirmasset ita de se orator, se anno vigesimo quinto aetatis nondum res publicas tractasse. Nimium hoc esse videtur, quam quod excusaret orator; perpauci quippe ista aetate de rebus publicis cogitaverunt (rarissima certe exempla exstiterunt impudentiae eius, quae in Glaucone notatur, apud Xenoph. M. S. III. 6.) Mihi contra istud *πολιτεύεσθαι* coniungendum videtur cum anno senatorio, i. e. trigesimo aetatis. Accedit, quod in Orat. De Pace p. 58, sua consilia Atheniensibus in memoriam revocans, nihil prius memorat, quam expeditionem illam Euboicam alteram a se dissuasam esse, quam nunc satis certo constat Ol. CVI. 3. susceptam fuisse. Nec puto facile contrarium demonstraturum quemquam esse, *πολιτεύεσθαι* ut ostendat non proprie dici de eo, qui

munera et honores in re publica gerat; quorum, praeter liturgias, initium factum esse videtur a senatoria dignitate, quam adeo constat multos saepe fraude adeptos esse. Suggestum conscendere, post praeconis vocem *τίς ἀγορεύειν βούλεται*, poterat sane unusquisque: sed *πολιτεύεσθαι καὶ πράττειν* continebat praecipue legum et psephismatum auctoritatem, quam nemo facile praeter Senatores, aut qui in alio munere constituti essent, suscipiebat. Demosthenem, si ante res publicas tractavisset, quid erat cur Midias istis nefariis criminationibus persequeretur demum in senatoriae dignitatis *δοκιμασίᾳ*? Poterat ante *ῥητόρων δοκιμασίᾳ* abuti. *Πολιτεύεσθαι* autem hoc modo tum aliis locis ponitur, tum apud Demosth. Androt. p. 604. fin.

V.

Quaestiones Lysiacae.

§ 1.

Tractantur nonnulla in Apologia Mantithei, et in Orat. de Bonis Eucratis.

In Apologia Mantithei nondum vidi qui commode corrigeret ista, § 5 p. 573. R. ἀλλὰ μᾶλλον ἠτίμαζον ἢ (Coisl. καὶ) τοὺς συγκαταλύσαντας τὸν δῆμον. quamquam, me iudice, multo elegantius Reiskius coniicit ἐτίμων addendum esse in fine, quam Frankius, qui ἢ τοὺς mutat in ὡς οὐ. — Ibid. § 15. p. 580. ipse quoque incideram in eam suspicionem, in quam Marklandus, pro ἐνθανόντων legendum esse ἔνθα θανόντων· quae tamen immerito a praestantissimo critico

abiicitur. — Ibid. § 16. p. 581. ex eiusdem sententia ἀποχωρίσαι mutandum est in ἀποκληρῶσαι.

De Public. Bon. Eucrat. § 6. p. 602. Νικήρατος — εὔνους ὢν τῷ ὑμετέρῳ πλήθει — μετασχεῖν· ἀλλὰ τοιαῦτα ἐνόμιζε τὰ ὑπάρχοντα αὐτῷ πρὸς τὸ ὑμέτερον πλῆθος εἶναι καὶ διὰ τοὺς προγόνους καὶ αὐτὸν, ὥςε οὐκ ἂν ποθ' ἑτέρας ἐπιθυμῆσαι πολιτείας. συνήδεσαν γὰρ ἅπασιν αὐταῖς ὑπὸ τῆς πολιτείας τιμωμένοις κ. τ. λ. Frustra mihi videntur laborare viri docti in postremis explicandis, maxime Bremius, qui συνήδεσαν de maioribus dici putat. Equidem corrigam — πρὸς τὸ ὑμέτερον πλῆθος διὰ τοὺς προγόνους αὐτοῦ, ὥςε — πολιτείας· συνήδει γὰρ — ὑπὸ τῆς πόλεως τιμωμένοις. Ipsius Nicerati nulla dum exstiterant merita in rem publicam, et ista ὑπάρχοντα non nisi per maiores erant, quos ille noverat (συνήδει) omnibus muneribus rite functos esse; ipsorum conscientia nulla hoc loco cogitari poterat. Non dissentire video Sluiterum Lect. Andoc. p. 264.

Ibid. § 8. p. 603. καίτοι τίνες ἂν ἡμῶν εἴησαν δυστυχέςεροι, εἰ ἐν μὲν τῇ ὀλιγαρχίᾳ ἀποθνήσκοιμεν εὔνοι ὄντες τῷ πλήθει, ἐν δὲ τῇ δημοκρατίᾳ ὡς κακόνοι ὄντες τῷ πλήθει ἀποςεροίμεθα τῶν ὄντων. Non puto Optativos illos defendi posse, quum praesertim non de probabili, sed de certo eventu sermo sit, certe in iis, qui iam sublati

erant (ἀπέθνησκον.) Quare corrigendum ἀποθνήσκομεν et ἀποστερούμεθα. In simili sententia § 12 Infinitivis, § 22 participiis utitur.

Ibid. § 9. p. 603. De Diogneto (qui quis fuerit non certo constat; sed videtur ipse quoque frater Niciae et Eucratis fuisse) hoc narratur: διαβληθεὶς μὲν ὑπὸ τῶν συκοφαντῶν φεύγων ᾤχετο, μετ᾽ ὀλίγων δὲ τῶν ἐκπεπτωκότων οὔτ᾽ ἐπὶ τὴν πόλιν ἐστρατεύσατο οὔτ᾽ εἰς Δεκέλειαν ἀφίκετο. Reiskius corrigi vult μετ᾽ οὐκ ὀλίγων, a quo Bremius dissentit, dicens paucos fuisse qui ista non facerent. Suspicor non percepisse eos vim dictionis, nec verum vidisse diligentissimum Sluiterum l. c. p. 266. Videtur Diognetus oligarchiae fautor fuisse, nec tamen expulsus tam patriam prodidisse, quam ceteri. Quare sic scripsisse Lysiam puto: μετὰ τῶν ὀλίγων δὲ τῶν τότε ἐκπέπτ. i. e. cum oligarchicis, qui tunc civitate exciderunt, neque adversus patriam militavit, neque Deceleam venit; quod postremum de plerisque affirmatur apud Thucyd. VIII. 98. init. Quod statim post de eo dicitur, eum ἀρχὴν οὐδεμίαν ἄρξαι ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ i. e. sub XXX viris, non tamen efficit eum non favisse oligarchiae.

Unus omnium difficillimus in hac Oratione locus est § 13. sq. p. 606. sq., quoniam interpretatio pertinere debet ad definiendum genus

actionis, adversus quam se defendit orator. Satis constat actionem hoc consilio fuisse institutam, ut rei bona publicarentur. Prorsus dissentio a Meiero, qui Lit. Att. I. p. 111. not. 27. conf. p. 253, huius causae hanc formam esse dicit: »Poliuchum psephisma tulisse, ex quo fundus »Eucratis publicandus esset; itaque eum ab huius »filiis παρανόμων in ius vocatum esse." Neque enim κατηγορίαν, sed ἀπολογίαν contineri hac oratione, non facile quisquam, qui eam considerate perlegerit, dubitaturum esse puto. Ipsius criminis, quo in hunc reum usus sit Poliuchus, nusquam diserte mentio fit: tantum novimus reum περὶ τῆς οὐσίας ἀγωνίζεσθαι (§ 1. 12 et 22.) tum actorem publicari fundum rei postulare, (§ 14.) quo nomine, nihil dicitur. Sed certe, si defensio est, excludenda est omnis cogitatio actionis παρανόμων, quam tamen suscepisse videntur viri docti ex corrupto loco παρανόμων φεύγοντος (aut φεύγοντες) τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός. Hoelscherum omitto: sed multo diligentius hanc controversiam tractavit Hamakerus, iuvenis doctissimus, in Quaestionibus de nonnullis Lysiae Orationibus p. 63. sqq. Sed, in iis quae § 13 dicuntur, πάντες γὰρ εἴσονται ὅτι τότε μὲν χιλίαις δραχμαῖς ἐζημίωσε τὸν βουλόμενον τὴν ἡμετέραν γῆν δημοσίαν ποιῆσαι, corrigendum est ἐζημιώσατε (in quod quum Marklan-

dus quoque incidisset, perperam hanc suspicionem abiicit.) Quibus argumentis haec correctio commendetur, non longe quaerenda sunt. Primum enim, non puto ζημιοῦν τινα dici posse actorem, qui poenam conferri in reum in iudicio obtinet (sicut καταδικάζεσθαι, et ἑλεῖν) sed non nisi de iudicum sententia usurpari. Tum, non tam populum, sive iudices, quam ipsum illum actorem sibi non constare praedicaretur ab oratore, si is in altero iudicio contrarium peteret eius, quod in priori obtinuisset. Accedit, quod in priori iudicio ne actor quidem fuisse Poliuchus cogitari potest, si quidem necessario ὁ βουλόμενος δημοσίαν ποιῆσαι actor fuit, qui, si quintam partem suffragiorum non tulisset, ex lege mille drachmis fuerat multandus: defendere autem causam illam necessario debuit idem, qui in praesenti iudicio causam dicit. Contra, nulla alia inconstantia arguitur, quam ipsorum iudicum, si nunc rei bona publicarent, quum ante iurassent μὴ μνησικακήσειν (quo pertinet § 19. init. p. 609.) Igitur (§ 15) monet iudices, ne velint διαλύειν ἃ αὐτοῖς ἐψηφίσαντο· neque minori fide servent illud pactum, quam quod Λακεδαιμονίοις συνέθεντο: et in sequentibus hac praecipue oratione condemnationem deprecatur, ut iudicibus illud decretum ἀμνηστίας in memoriam revocet. Quo loco hoc in

Hamakero reprehendendum est, quum dicit (p. 65.) hanc orationem habitam videri ante psephisma Archini de exceptione opponenda; si quidem illud psephisma, teste Isocrate Contr. Callim. § 2. statim post reditum exsulum conditum est, haec autem oratio τοσούτῳ χρόνῳ ὕστερον habita (§ 19.)

Restant nihilominus alia difficiliora ad explicandum; nempe haec verba: *καὶ περὶ τούτων δὴ ἀμφοτέρων Ἀθηναῖοι, παρανόμων φεύγοντος τοῦ αὐτοῦ ἀνδρὸς, τἀναντία σφίσιν αὐτοῖς ἐψηφίσαντο.* De quibus mihi quidem persuasum est, quoniam actionis παρανόμων ne levissima quidem suspicio esse potest, sanam sententiam restitui posse, si corrigatur παρανόμως, et φεύγοντος τοῦ αὐτοῦ ἀνδρὸς pertinere ad Eucratem, de cuius bonis publicandis nunc agatur. Fateor accurate ex hac defensione describi non posse genus actionis, neque adversus quem, et in quam poenam instituta fuerit. Probabilia tamen quae sint, coniicere licet: nempe Eucratem in partibus oligarchicorum fuisse, qui, quamquam nollet in XXX virorum numero esse, tamen illo tempore στρατηγοῦ munere, post cladem apud Argos flumen, functus esset (§ 4.): sed eumdem in eorum στρατηγῶν et ταξιάρχων numero fuissse, qui Therameni, turpissimae cum Lacedaemoniis pacis auctori, adversati sunt, et tum nefario iudicio perierunt:

conf. Lys. in Agorat. § 13. sqq. p. 453. sqq. nam quod unum crimen in eos conferebatur, fictum erat, ἐναντιοῦσθαι τοῖς τότε καθιςαμένοις πράγμασι· ibid. § 21. p. 458. Propter Diophanti igitur psephisma, quod recitatur apud Andocid. Myster. p. 48. R. (de cuius temporibus docte quidem disputavit Meierus Bon. Damn. p. 3. sqq. sed tamen diu post etiam valuisse argumento est Lycurgus Leocrat. cap. 31.) fieri potest, ut aliquis in huius exstincti iam bona ἀπογραφὴν detulerit, quae prius repulsa, nunc iteretur a Poliucho, hoc nomine quod Eucrates ἀρχὴν ἦρξε καταλελυμένης τῆς δημοκρατίας· atqui ita utroque iudicio ὁ αὐτὸς ἀνὴρ petebatur, idque παρανόμως.

§ 2.

Observationes in Orationem Pro Bonis Aristophanis.

Nicophemi eiusque filii Aristophanis memoria non aliunde, ut puto, repeti potest quam ex hac ipsa oratione: sed quum ea coniuncta sit cum Cononis et Euagorae rebus, in quarum temporibus definiendis nondum quisquam elaboravit, operae pretium est singula diligentius persequi, itaque definire huius de Aristophanis bonis actionis tempus.

Memoratur Cononis Praetura § 12 (ϛϱατηγῶν Κόνων περὶ Πελοπόννησον), intelligendaque ea est, per quam Naupacti praefectus fuit, ut tradit Thucydides VII. 31. (Ol. XCI. 4. A. C. 413:) quam memoriam, omissam suo loco a Clintono in Fastis Hell., non neglexit Clarissii mei diligentia in Thucydidea B. Peloponn. Epocha p. 110. Eo igitur anno iam ab oratoris patre impetravit Conon, ut Nicophemi filio Aristophani filiam in matrimonium collocaret. — Proximum illud est, quod § 19. sq. dicitur: βουλομένου Κόνωνος πέμπειν τινὰ εἰς Σικελίαν ᾤχετο (Ἀϱιϛοφάνης) ὑποϛὰς μετὰ Εὐνόμου καὶ Λυσίου —. ἦσαν δ' ἐλπίδες τοῦ πλοῦ πεῖσαι Διονύσιον κηδεϛὴν μὲν γενέσθαι Εὐαγόρᾳ, πολέμιον δὲ Λακεδαιμονίοις, φίλον δὲ καὶ σύμμαχον τῇ πόλει τῇ ἡμετέρᾳ κ. τ. λ. Quaeritur utrum hoc ante an post cladem a Lysandro acceptam fuerit. Anno demum ante hanc calamitatem regnum occupaverat Dionysius: quumque mentio fiat periculosae navigationis πρὸς τοὺς πολεμίους, aptissime in hoc tempus includi videtur illa legatio, quum, debellata classe Atheniensium, omnes insulas et totius maris imperium tenerent Lacedaemonii. Suspicor autem Cononem tale quid molitum esse simulatque se ex illo proelio cum paucis navibus ad Euagoram recepisset, itaque tum Aristophanis, tum Eunomi, quos secum ha-

beret, opera uti potuisse. In Lysiae verbis, *Εὐνόμου καὶ Λυσίου*, non quidem reliqui Interpretes, sed acutissimus Taylorus offendit, qui *Εὐνόμου τοῦ Λυσίου* legi vult; tum Meierus Bon. Damn. p. 52. not. 162, qui suadebat ut *Εὐνόμου Καρυςίου* legeretur: et poterat aliud gentile aut pagi nomen excogitari, cuius terminatio propius etiam ad *Λυσίου* accederet, fuitque quum ipse quoque ad hanc rationem corrigendum esse putarem: et Taylorus fortasse suspicatus est Eunomum filium esse eius Lysiae, qui unus e praetoribus apud Arginussas fuerunt (Xenoph. Hellen. I, 6, 21. 7, 1.) Verumtamen concedendum esse nunc arbitror in eorum sententiam, qui ipsum Lysiam oratorem indicari putant, propter ea quae adiiciuntur, *φίλου ὄντος καὶ ξένου*, quod postremum vocabulum egregie cum Lysiae conditione convenit, in primisque quae adduntur, eum praeclare meritum esse de populo Atheniensium. Verum, si recte coniicio e Cypro hanc legationem missam esse a Conone, quaerendum utrum hoc cum Lysiae rebus conspiret. Sub triginta viris expulsus Lysias, sequenti anno rediit Athenas, Ol. XCIV. 2. A. C. 403, quum natus esset annos quinque et quinquaginta. Et statim quidem orationibus scribendis eum operam dedisse, quibus alii uterentur, apparet e diligenti tempo-

rum notatione, qua viri docti in illis orationibus usi sunt. Attamen, quamquam deperditarum quoque ratio habenda est, in illa serie semel iterumque biennii intervallum vacuum a causis deprehendimus, veluti inter annum A. C. 401, et 399, tum inter hunc et 397. Itaque credibile est ut alterutro intervallo hoc officio, in Cononis gratiam, functus sit Lysias, qui ipse stirpem Syracusis repeteret. Nam propter ipsa illa, quae memorantur, pericula ab hostibus, ante victoriam apud Cnidum (A. C. 394) factum esse, perquam verisimile est. Accedit quod Dionysium tentari magis conveniebat initio regni, quam aliquot annis post. Perpetuo fere per bellum Peloponnesiacum socii Lacedaemoniorum fuerant Syracusani: et modo etiam, ante Dionysium regnantem, bis auxilia miserant Lacedaemoniis: Thucyd. VIII, 26 et 105. Id quo minus statim faceret Dionysius, tum aliis rebus, tum gravi bello cum Carthaginiensibus impeditus fuisse videtur (Xenoph. Hellen. II, 2, 14. 3, 4.) Rursus eius auxilia Lacedaemoniis missa memorantur inde ab A. C. 387 saepius: conf. Xenoph. ibid. V, 1, 23. cet. Atqui Conon non rediit in patriam, nisi post victoriam apud Cnidum ceterasque res cum Pharnabazo prospere gestas, Ol. XCVI. 4. A. C. 393: sequentique anno legatus missus ad Tiribazum,

huius fraude in vincula coniectus est, in eaque captivitate periisse videtur: Xenoph. Hell. IV. 8. Quumque per illud postremum tempus multo minora essent a Lacedaemoniis pericula, quippe Conon et Pharnabazus, tum Corinthii quoque θαλασσοκρατῆσαι narrantur, necessario consilium istud Dionysii conciliandi a Conone initum est dum in Cypro apud Euagoram erat.

Nicophemum videtur Conon in familiarissimis habuisse, quum amicitia tum auctoritate (ὑπ' ἐκείνου πεπιςευμένος § 13: ποιῶν ὅ τι ἐκεῖνος προστάττοι, § 35: οὐδὲν πώποτε διενεχθέντες, § 36): sed etiam cum Conone Nicophemus apud Euagoram per totum illud temporis intervallum vixisse videtur, rerumque gestarum socius fuisse. Hinc paene affirmaverim, quem Nicophemum (sic enim verissime correxit Schneiderus nomen minime Graecum Νικόφηβον) Conon, in illa agri Laconici populatione, Cytherae reliquisse narratur Ἀθηναῖον ἁρμοςὴν cum praesidio, apud Xenoph. Hell. IV, 8, 8. non diversum esse ab hoc Nicophemo, qui sic ἁρμοςὴς appellatur non ex publica Atheniensium auctoritate, sed tamquam succedens Lacedaemoniorum harmostae, quorum id munus eaque appellatio propria fuit. Sed etiam in Diodoro Sic. XIV, 81 idem nomen, pro Νικόδημον, restituendum esse, vidit Kruegerus quan-

tum coniicio ex Hoelscheri libro cit. p. 194. init. Habebat autem Cypri, ut Conon filium et uxorem, sic Nicophemus uxorem et filiam (§ 36.)

Proximum, post illam ad Dionysium legationem, hoc memoratur: μετὰ δὲ ταῦτα ἐπειδὴ οἱ πρέσβεις ἧκον ἐκ Κύπρου ἐπὶ τὴν βοήθειαν — § 21. Ambigitur de tempore huius legationis et auxilii ab Atheniensibus missi. Fieri non potest ut conferantur haec in tempus illud quod praecessit victoriam apud Cnidum, quae significatur § 28: nam eo tempore nihil in bonis habebat Aristophanes praeter praediolum Rhamnunte, nec propterea tam fortunatus erat, ut maximam partem sumtuum in eam, quae requireretur, expeditionem ipse sustineret, reliqua fide interposita ab amicis impetraret, sicut dicitur § 22. Quapropter uterque, et Nicophemus et Aristophanes, ut suspicor, post illam victoriam demum per Cononem locupletatus est. Accedit, quod difficile est excogitare cuius belli gerendi causa Euagoras ista auxilia requirere potuisset, si ante pugnam ad Cnidum. Bis auxilia ab Atheniensibus ad Euagoram missa memorantur a Xenophonte, Hell. IV, 8, 24, et V, 1, 10. Harum prior expeditio, cui praeerat Philocrates ὁ Ἐφιάλτου, decem erat navium, missaque ad Euagoram auxilio contra Persarum regem, Ol. XCVII. 3. A. C. 390: et

hanc eamdem esse, atque eam cuius in hac oratione mentio fiat, putat Clintonus ad eum annum. Et sane numerus conspirat; quippe § 43 dicitur, ὅτε οἱ Κύπριοι ἦλθον ἔδοτε αὐτοῖς τὰς δέκα ναῦς. Verum numerus ille fere sollemnis erat in istis minoribus expeditionibus, et recurrit adeo altero loco. Praeterea naves illae, quibus praeerat Philocrates, omnes captae sunt in itinere a Teleutia Lacedaemonio: huius autem expeditionis, quam adiuvit Aristophanes, ipse legatus adeo creatus ad Euagoram (§ 23), quominus talem exitum fuisse credamus hoc est, quod § 24 omnis illa pecunia, quam mutuo sumserat ab amicis, reddita fuisse dicitur: ἐκομίσθη γὰρ αὐτοῖς ἐπὶ τῆς τριήρους· vix credibile, si tota classis in hostium potestatem venisset. Tum temporum computatio nonnihil adversatur Clintoni suspicioni. Nam post pugnam apud Cnidum quatuor aut quinque anni fuisse numerantur, per quos Aristophanes domi, (non apud Euagoram), et complura praedia acquisivisset, et aliquoties liturgiis functus esset, etiam pro patre absente: atqui inter Cnidiam pugnam et Philocratis expeditionem trium tantum annorum intervallum fuit. Multo aptius est cogitare de altera, quam Xenophon (V, 1, 10) memorat, expeditione: μετὰ δὲ ταῦτα Χαβρίας ἐξέπλει ἐς Κύπρον βοηθῶν Εὐαγόρᾳ, πελ-

ταςάς τ᾽ ἔχων ὀκτακοσίους καὶ δέκα τριήρεις. Videmus huic expeditioni, tamquam extraordinarium munus, accessisse peltastas, quos ipsos ab Euagorae legatis conductos memorat orator § 21: tum inter pugnam Cnidiam et hanc Chabriae expeditionem quinque annorum intervallum est, si quidem recte a Clintono haec ad Ol. XCVIII. 1. A. C. 388. refertur: postremo prospere rem gessit Chabrias, ita ut sine incommodo probare possimus hoc, mutuas pecunias ab Euagora redditas fuisse creditoribus. (Eamdem expeditionem indicat Demosthenes Leptin. p. 479. 26.) Itaque quae rationes adversus Clintonum, eaedem valere mihi videntur adversus Meieri opinionem, qui Bon. Damn. p. 194 ipse quoque Philocratis expeditionem indicari intelligit.

Nec minus ad tempora definienda pertinet Diotimi mentio § 50, de quo recte suspicantur viri docti, eumdem esse, qui Ol. XCVIII. 1. A. C. 388 cum Iphicrate Lacedaemoniorum classem Abydi obsedisse narratur apud Xenophontem Hell. V, 1, 25. Ipsa autem calumnia iacta aliquanto ante, (constat enim ἔναγχος de maiori quoque temporis intervallo accipi) quum etiam in illa praetura domo abesset Diotimus, postea demum quam rediisset quam inanis fuisset apparuit. Atqui Athenas redire non

potuit, ante sequentem annum Ol. XCVIII. 2. A. C. 387.

Ne Timothei quidem mentio negligenda est § 34. 38: quamquam eam supra p. 100 verbo attigi. Putabat Meierus ex illis locis conficiendum esse, tunc iam periculum imminuisse bonis Timothei. Sed vix cognitus tum erat Timotheus, quem etiam ex patre appellare necesse habuit orator (*Τιμοθέῳ τῷ Κόνωνος*): tum non nisi exemplum ponitur, et argumentatio ex absurdo. Fac, inquit, aliquem vestrum filiam aut sororem suam Timotheo in matrimonium dedisse, ipsiusque bona absentis et calumniis petiti publicata esse, nec plus iis divenditis in aerarium rediisse quam quatuor talenta, idcirco aequum erit eius affines bonis exui? Et tota, quae sequitur, demonstratio de magnitudine divitiarum quas Conon reliquerat, deque ea pecunia, quae inde ad filium ex testamento venerat, eo pertinet, ut intelligerent iudices eumdem errorem esse in opinione de bonis Aristophanis, et iniquum si propter talem errorem affines plectantur. Eam autem bonorum Timothei publicationem fieri et cogitari posse tantum dicit, (quod quare non diceret in tanta civium suorum levitate et avaritia?) non item exspectari nunc aut instare. Quapropter rectissime Reiskius § 38. corrigebat *δημεύσαιτε*,

qui optativus requiritur adeo propter sequens λαβοιτε (ubi perperam Meierus legendum suadebat ἐλάττονα ἂν λ., sine partic. δέ, persumdata tota argumentationis structura.) Postremo tota illa explicatio testamenti Cononis, § 39. sq. nihil aliud vult, nisi non omnia Cononis bona, quae quadraginta talentorum summam efficiebant, ad Timotheum pervenisse, sed non nisi septendecim talenta: quapropter § 34, pro τέτταρα τάλαντα, legendum est τετταράκοντα, quem numerum opinio (δόξα) erat ad eum ex patris hereditate pervenisse.

Quaeri potest porro de bello, quod Euagoras tum gerebat. Non attinet demonstrare eum, quum Salamina teneret, inde reliquam quoque Cypri partem armis sibi vindicare voluisse. Sed erat hoc manifesto bellum cum rege Persarum gerere, qui in pacis Antalcideae adeo conditionibus (Ol. XCVIII. 2.) hanc legem scripsit, ἑαυτοῦ εἶναι Κύπρον· Xenoph. Hell. V, 1, 31, id quod Isocrates sic enunciat, ἐν ταῖς συνθήκαις ἔκδοτός ἐςι, sc. Euagoras: Panegyr. cap. 39. Haec autem quum Euagorae conditio esset, quo modo explicandum est, quod apud Lysiam § 25 dicitur, de Demo Pyrilampis filio, qui eo ipso tempore, quum Chabriae expeditio Athenis parabatur, ἐτριηράρχει ἐπὶ Κύπρον, quique phialam auream habebat σύμβολον παρὰ βασιλέως τοῦ με-

γάλον, qua oppignerata pecuniam mutuo sumere studebat in trierarchiae sumtus? Fallitur certe Reiskius, quum ad h. l. dicit: »rex Persiae tum »socius erat Euagorae." Sed fieri potest ut isto symbolo, quod fortasse diu ante ab Artaxerxe, quum hic ad Lacedaemonios in Asia debellandos Atheniensium multorum opera uteretur, accepisset, nunc abuteretur Demus.

De bello ipso inter Euagoram et Persarum regem gesto, quo anno initium, quo finem habuerit, gravis controversia agitata fuit inter viros doctos, in primis opportunitate loci illius Isocratei Panegyr. cap. 39, quem, qui tempora diligenter metiri solent, contrarium esse dicunt iis quae a Diodoro Siculo traduntur. Isocrates, cuius istam orationem editam esse Ol. C. 1. A. C. 380, rectissime, ut mihi videtur, Spohnium secutus, ponit Clintonus in Fastis Hell., memorat Euagoram tum, mari cladem passum, et exiguis copiis terrestribus utentem, sex iam annos Persarum regis bellum pertulisse, necdum ab hoc subigi potuisse. Hanc auctoritatem si sequimur, belli ipsius initium incidet in Ol. XCVIII. 2. A. C. 387, i. e. in annum secundum expeditionis Chabriae. Huius enim clarissima opera usum esse tum Euagoram in reliqua insula subigenda, memorare quidem neglexit Xenophon in Hellenicis,

sed tum Demosthenes fidem facit Leptin. p. 479. fin. (ὅσα ἐν Κύπρῳ τρόπαια ἔστησε,) tum Corn. Nepos Chabr. II, 2 (*neque prius inde decessit, quam totam insulam bello devinceret:*) de quo loco tamen Rinckius in Prolegom. ad Aemil. Probum sic statuit, confundi res a Nepote, intelligendamque esse eam totius insulae subactionem, quae facta sit Ol. CVII. 2. per Phocionem et Euagorae filium una cum Persarum exercitu (Diodor. Sic. XVI. 42. 46.) Non facile accesserim huic iudicio, si quidem neque probabile est Chabriam, istius expeditionis ducem, et haud contemnendis copiis terrestribus instructum, constitisse intra unum illud facinus caedendorum Lacedaemoniorum et Gorgopae, de quo narrat Xenophon; neque de singulari istiusmodi facto dixisset Demosthenes, eum multa τρόπαια στῆσαι. Multo maiori iure, ut hoc obiter dicam, Palmerius ad Diod. Sic. XVI. 42 offenditur Phocionis mentione. Sed vellem Rinckius meminisset, ipso illo anno 2. Ol. CVII. aut certe sequenti, Phocionem, ut nonnulli putant, praefuisse expeditioni, quam Athenienses in Euboeam miserunt, itaque rursus vel Diodorum, vel eius librarios castigandos esse.

Sed conferamus nunc cum Isocrate Diodorum, postquam in memoriam revocaverimus, quae ab

illo in Euagora p. 199. sqq., detracto ornatu oratorio, commemorantur. Duo omnino clarissima Euagorae tempora ac facinora fuerunt; prius consumtum in frangendis Lacedaemoniis, in quo Cononem adiuvit prompte et alacriter; alterum in propulsando gravissimo bello sibi a Persarum rege illato: et hunc fuisse rerum gestarum ordinem, satis diserte declaratur p. 203. a. (ubi *τὸν τελευταῖον πόλεμον* opponit *ταῖς παρασκευαῖς ταῖς πρὸς Λακεδαιμονίους*.) Sed initium ipsum bellandi, utpote in eiusmodi panegyrica scriptione, non diligenter posuit. Tantum agnoscimus, mature Artaxerxem metu et invidia opum et potentiae et animi, quae Euagoras praeclare explicabat, iam in ipso illo adversus Lacedaemonios bello consilia agitasse eius aggrediendi (*μεταξὺ πάσχων εὖ πολεμεῖν πρὸς αὐτὸν ἐπεχείρησε*, p. 200. fin.) Tum narratur de ingentibus sumtibus, quos Artaxerxes in illo bello parando fecisset: mox, sub ipsum initium belli, Euagoram totam fere Cyprum occupasse, Phoenicem vastasse, Tyrum vi expugnasse, Ciliciam ad defectionem perduxisse: postremo regem ne decem quidem annorum bello expugnare Euagorae tyrannidem potuisse, sed eam pacem fecisse, per quam hic eadem teneret, quae initio belli habuisset (p. 201. b. sqq.) — Diodorus ne ipse quidem diligenter

ponit belli initium. Primam mentionem rerum Euagorae iniicit ad Ol. XCVII. 2. A. C. 391. (Lib. XIV. 98): sed complectitur eo capite omnem fere memoriam eorum, quae Euagoras et ad regnum Salaminis occupandum, et ad reliquas insulae civitates subigendas egisset; porro, confugisse multos Cyprios ad Artaxerxem, et hunc, quo iis morem gereret, bellum paravisse; postremum addens, *μεγάλαις δυνάμεσι* (ὁ βασιλεὺς) *διαβαίνει εἰς Κύπρον*. Hoc autem, de traiectione in Cyprum, per prolepsin certe memoratur; si quidem XV. 2, Ol. XCVIII. 3. A. C. 386, loco et de industria memorat de Artaxerxe, *ἐστράτευσεν ἐπ' Εὐαγόραν*, simul memoratis, quae uterque huius belli causa diu ante paravisset subsidia, de progressu, multoque minus de exitu quidquam monens. Haec demum complectitur ibid. 8. sq. ad Ol. XCVIII. 4. A. C. 385. quum cap. 3 et 4. magnum proelium navale fuse descripsisset, ex quo victus discessisset Euagoras. Sed postremo loco (cap. 9.) diserte memorat bellum decem fuisse annorum, cuius intervalli maximam partem apparatibus fuisse consumtum, bellatumque fuisse vere per biennium, itaque bellum compositum. Hinc assumserunt viri docti Diodori temporum rationes has esse, ut decennale bellum, quippe finitum A. C. 385, initium ha-

buerit A. C. 394: conf. Clinton. Fast. Hell. Append. XII. p. 279, itaque historicum dissidere aliquot annis ab Isocratis rationibus. Ego quo minus hunc tantum dissensum agnoscam, pluribus moveor argumentis. Qui Diodori rationem annalium componendorum noverunt, tenent profecto hunc morem eius, ut, quamquam studiose synchronisticam compositionem sectans, ita tamen nonnumquam in singulari quadam memoria haereat, ut eam semel orsus ad finem usque exponat. Hoc eum in Euagorae rebus, maximeque in bello quod cum Artaxerxe gerebatur, fecisse, tanto facilius intelligimus, quod moris et apparatibus et inanibus consiliis tractum fuisse videtur illud bellum, ita ut singulis annis, quod memorabile accidisset, nihil fere esset quod memoraretur. Ne hoc quidem negligendum, Euagoram *πολεμεῖν πρὸς βασιλέα* dici iam Ol. XCVII. 3. A. C. 390, apud Xenophontem Hell. IV, 8. 24; quae non de aperto bello intelligenda sunt, sed de expugnanda Cypro, reliquisque, quae Persarum regi obnoxia erant: nam iisdem temporibus Euagoras, per societatem cum Atheniensibus, Lacedaemoniorum impetum retardabat. Apparet hinc, in ipso belli initio definiendo exiguum discrimen esse inter rationes quas ex Isocrate confecimus, et Diodori disertam auctoritatem,

qui XV. 2. regis στρατείαν ἐπ' Εὐαγόραν A. C. 386 ponit. Sed laborant viri docti in magni istius proelii navalis anno definiendo, quod, ut videtur, Diodorus ante A. C. 385 ponit, i. e. brevi ante finem totius belli; contra apud Isocratem Paneg. cap. 39 (κατὰ μὲν θάλατταν προδεδυστύχηκεν) proelium istud retrahi putant ad initium belli. Hoc quidem rectissime, si initium A. C. 387. aut 386 ponitur: sed rursus a Diodoro XV. 3. sq. et 8. sq. omnia contrahi, tantum ut illa digressio absolveretur, non ut eo ipso anno, cuius notam apposuerat, accidisse credantur, arguit Tiribazi mentio apud Isocratem Paneg. cap. 37, tunc etiam, i. e. septimo belli anno, copiis regiis apud Cyprum praefecti, quem tamen Diodorus (XV. 4.) post navale proelium demum in Cyprum traiecisse narrat: atqui propter eius officia in pace Antalcidea concilianda (Xenoph. Hellen. V, 1, 30. sqq.) istius expeditionis imperium suscipere non potuit ante Ol. XCVIII. 2. A. C. 387, qui ipse cum rationibus, quas supra exposui, conveniens primus totius belli fuit. Quid, quod ne copiarum quidem, quas rex maximam partem ex Ionia et Graecis in Asia civitatibus collegerat (Panegyr. cap. 37) facultatem habere potuit nisi post illam pacem. Hinc manifestum est Diodori errorem consistere intra definitionem

biennii, per quod vere bellatum esset (XV. 9), qnumque ex Isocrate ant aliunde decem annorum numerum assumsisset, superiores annos apparatibus tribuit, itaque belli initium tanto ante posuit. Falsam autem esse istam biennii computationem, clarissime apparet ex Isocrate, qui regis *βραδυτῆτας ἐν ταῖς πράξεσι* memorat, eumque iam sex annos bellando *διατετριφέναι*· qualia minime conveniunt copiarum colligendarum ad destinatam aliquando expeditionem consiliis: ne dicam Chabriae primum *ϛρατηγίαν*, et post Acoris Aegyptii auxilia arcessita, qnibus fractas opes restituit Euagoras, in tam breve spatium contrahi non posse.

Alia dubitatio oritur, quo genere mortis, aut quo iudicio, et ubi perierint Nicophemus et Aristophanes. Bremium, qui in Prooemio dicit eos sub triginta viris periisse, satis refutat ipsa historia: dolendum tale quid excidere potuisse viro praestantissimo, quem fortasse hoc decepit, quod, quae § 7 dicuntur, perquam similia sunt eorum, quae de XXX virorum libidine narrantnr apud Aeschinem Ctesiph. p. 628. Doctior sententia est Meieri, qui Bon. Damn. p. 193 dicit, probabile esse eos proditionis esse damnatos, quum ne sepultura quidem iis concessa fuerit: sed ignorari qualis fuerit illa proditio: »fortasse, (ait in

»not. 114) proditionis crimen Aristophani intendebatur, cum decem naves ab Atheniensibus »Euagorae auxilio missae a Teleutia caperentur:" et in Xenoph. Hell. IV. 8, 24 pro Φιλοκράτει τῷ Ἐφιάλτου, corrigi vult Ἀριστοφάνει τῷ Νικοφήμου. Sed tota haec suspicio calidior quam verior est. Nam ne ex titulo quidem alius orationis deperditae, quo argumento utitur Meierus, quidquam de proditione conficiendum: est autem illa inscriptio, Κατ' Αἰσχίνου περὶ τῆς δημεύσεως τῶν Ἀριστοφάνους χρημάτων. Primum, Nicophemi nomen ab hac actione excluditur: tum, quae poterat actio esse de publicatione bonorum eius qui proditionis damnatus esset? et omnino, si posset, unde constabat Aristophanem tali iudicio circumventum fuisse? Nihil de Nicophemo et Aristophane novimus praeter ea, quae memorat orator huius orationis § 7: — ἄκριτοι ἀπέθανον, πρὶν παραγενέσθαι τινὰ αὐτοῖς ἐλεγχομένοις ὡς ἠδίκουν. οὐδεὶς γὰρ οὐδ' εἶδεν ἐκείνους μετὰ τὴν σύλληψιν· οὐ γὰρ θάψαι τὰ σώματ' αὐτῶν ἀπέδωκαν, ἀλλ' οὕτω δεινὴ συμφορὰ γεγένηται, ὥστε πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ τούτου ἐστέρηνται. De sensu singulorum vocabulorum nulla, puto, dubitatio est: ἄκριτοι dicuntur, quibus defendere se non licuit (conf Lys. in Epicrat. § 8.), et συλλαμβάνειν in carcerem coniicere est, ut aliquoties

usurpatur hoc verbum in historia triginta virorum (Xenoph. Hellen. II, 3, 10, Lysias in Eratosth. § 7.) Sed non erat, ut aequum est, hoc proprium Atheniensium; siquidem Tiribazus quoque Cononem *ἐπὶ θανάτῳ συλλαβεῖν* dicitur, apud Isocratem Panegyr. cap. 41. Sed, quoniam tamen omissae disceptationis iudicialis mentio fit, aequum est ut de Athenis ipsis cogitemus: quamquam difficile est in illa parte historiae tempora reperire, quibus tam violenta agendi ratio apta fuerit. Vix enim cogitare licet de trierarchis istis, quorum supra p. 108 ex Xenophonte mentionem feci: tum ista, *οὐ γὰρ — ἀπέδωκαν*, cogunt fere ut credamus ista non Athenis accidisse. Itaque, quandoquidem in bello certe non ceciderunt Nicophemus et Aristophanes (si quidem, ut auctor est Demosthenes Leptin. p. 482. init. *οὐδένος πώποθ' υἱὸς ὀρφανὸς διὰ Χαβρίαν ἐγένετο*, istos autem sub Chabria in Cypro militasse supra demonstravi), hoc sumere licet, eorum culpa aliquod munimentum istic amissum esse, aut aliud quid commissum extremo supplicio vindicandum. Nicophemus certe, quem fati socium habuit filius Aristophanes, perpetuo, Cononis iam auctoritate et exemplo, in Cypro vixisse videtur. Quod si probabile videtur istos, cuiuscumque criminis reos, in Cypro comprehensos et morti traditos esse,

facilius est explicare inscriptionem deperditae orationis Lysiae, κατ' Αἰσχίνου περὶ τῆς δημεύσεως τῶν Ἀριςοφάνους χρημάτων (Harpocr. v. Χύτροι.): nam conficitur inde nullum exstitisse Athenis iudicium quo circumventus sit Aristophanes, quoniam, si eiusmodi iudicio periisset, simul etiam publicatio bonorum pronunciata fuisset. Contra, ubi peregre ipse periisset, sumere licet domi ortum esse quempiam, qui de bonis eius publicandis psephisma tulerit; qui si Aeschines fuit, contra eum haec actio παρανόμων, aut alia, περὶ δημεύσεως, instituta est. Tum, ficto exemplo ubi orator designat iniquitatem praesentis iudicii, cum Aristophane confert Timotheum, ponitque huius quoque ἀποδημήσαντος καὶ ἐν διαβολῇ γενομένου δημευθῆναι τὴν οὐσίαν· unde dubium vix est Aristophanis quoque absentis publicata fuisse bona.

§ 3.

De genere actionis, in eadem Oratione.

De genere causae, quae in hac oratione defenditur, luculenter egit Meierus, tum Bon. Damn. p. 201. sqq. tum Lit. Att. III. p. 256. sq. Sed restant nonnulla diligentius constituenda. Erat sane ἀπογραφὴ bonorum delata ei, qui hanc ha-

bet orationem, propterea quod delator putabat partem bonorum Aristophanis, quae publicata fuerant, latere apud illum; in Aristophanis enim bonis non tantum, quantum oportuisset, deprehensum esse. Quae delatio si vera esset, conficeretur ita praeter fas Aristophanis bona detineri a reo (*οὐ μόνον ἐγὼ, ἀλλὰ καὶ ὁ πατὴρ δόξει ἄδικος εἶναι* § 1. *μὴ οὖν προκαταγινώσκετε ἀδικίαν* § 10.) Talis suspicio et *διαβολὴ* nitebatur praecipue eo, quod reus Aristophanis *κηδεστὴς* esset, itaque tanto magis verisimile esse, propter mutuam voluntatem et consuetudinem, partem bonorum Aristophanis ad alterum pervenisse: conf. in Philocrat. § 2. Quam suspicionem ut infringat reus, omnem originem et rationem istius affinitatis explicat (§ 12), et de industria persequitur illud, nullam magnopere consuetudinem inter Aristophanem et patrem suum exstitisse (§ 18. sqq.) Quam bona fide fuerit in omni illo negotio versatus, explicat ita, ut dicat sua cura ac diligentia factum esse, ne quidquam de bonis Aristophanis, quum publicatio iam decreta esset, per vim aut fraudem averteretur: sed verba ipsa consideranda sunt (§ 31.) *Τῶν ἄλλων ὅσων ἐδημεύσατε χρήματα, οὐχ ὅπως σκεύη ἀπέδοσθε, ἀλλὰ καὶ αἱ θύραι ἀπὸ τῶν οἰκημάτων ἀφηρπάσθησαν· ἡμεῖς δὲ, ἤδη δεδημευμένων καὶ ἐξεληλυθυίας τῆς*

ἐμῆς ἀδελφῆς, φύλακα κατεστήσαμεν τῇ ἐμῇ οἰκίᾳ, ἵνα μήτε θυρώματα, μήτε ἀγγεῖα μήτε ἄλλο μηδὲν ἀπόλοιτο. Manifestum est indicare velle oratorem, in aliis bonorum publicationibus saepe accidisse, ut vasa iam direpta essent, et conclavium fores vi ablatae, nempe quo facilius, quae pretiosa essent, averterentur, itaque nihil in aedibus relinqui solitum esse quod ex publicatione venderetur: se contra, custodibus appositis, curavisse ne tantillum etiam periret. Merito Taylorus haeserat in ἐμῇ ante οἰκίᾳ· nam quod Reiskius contendit, domum Aristophanis pignori oppositam censeri pro dote (§ 15. fin), ideo falsum est, quod domum aliquanto post nuptias demum emerat Aristophanes (§ 29:) tum ne hoc quidem reputavit, dotem ipsam, morte mariti soluto matrimonio, non ad κύριον uxoris redire, sed venire ad liberos, et Aristophanem tres parvulos reliquisse (§ 8. sq. 33.) Quo igitur iure huius causae defensor illam suam domum appellare potuisset? Sauppius omisit pronom. ἐμῇ· qua auctoritate, non memini: sed poterit fortasse mutari in κενῇ.

Nondum satis explicitae sunt rationes istius dotis: quam quaestionem paucis attingere concedi mihi spero. Quadraginta minas, dotis loco, filiae suae, quum nuberet Aristophani, pater tribuerat

(§ 15.) Quaeri potest, qui factum sit ut illa dos penitus perierit liberis ex illo matrimonio natis? Neque enim e bonis Aristophanis restituta erat (ὀφείλεσθαι τὴν προῖκα τῆς ἀδελφῆς. § 32.) et liberi ipsi dicuntur, amissis bonis paternis, nullam spem nisi in avi facultatibus habuisse (§ 8.) Scilicet, in publicatione bonorum, quae toties decernebatur, quo aerarii inopiae succurreretur, credibile est nullam magnopere rationem haberi solitum fuisse eorum, quae damnatus aliis deberet, fortasse ne eorum quidem, quae, ὅροις positis, aliis hypothecae loco obstricta essent. Eiusmodi autem hypothecam, propter dotem uxoris, nullam ab Aristophane concedi potuisse, supra probabiliter, ut mihi videtur, demonstravi; itaque dos illa quadraginta minarum ex mera ὁμολογίᾳ tributa fuerit necesse est. De actionibus dotis vindicandae causa instituendis, copiose egit Meierus, tum Bon. Damn. p. 222. sqq., tum Lit. Att. III. p. 422. sqq. Utrum eius uxoris, quam habuerat Aristophanes, ὁ κύριος, quum illius bonorum ἀπογραφὴ institueretur, ullam instituerit actionem, nusquam traditur diserte: verum suspicor iudicium tamen exstare in his verbis § 8, de liberis Aristophanis, qui οὐ μόνον τὰ πατρῷα ἀπολωλέκασι παρὰ τοὺς νόμους τοὺς ὑμετέρους, ut ne ab avo quidem possent susten-

tari, si huius quoque bona publicarentur. Proprie enim diversa erat dos tum a bonis paternis, tum ab avitis: sed quoniam non sane de omni publicatione affirmavisse credibile est oratorem, eam *praeter leges* factam esse (nihil enim per totam orationem in illam publicationem dicitur), suspicor paternorum bonorum nomine nunc, per abusum, dotem quoque comprehendi, quamquam iure Attico ea non transiret in bona mariti. Quapropter fieri potest, et vero etiam credibile est, actionem aliquam apud Syndicos fuisse ante institutam ad dotem repetendam v. c. ἐνεπίσκημμα· (conf. Harpocrat. in V.) sed actorem ea causa cecidisse. Certe in hac ipsa suorum bonorum defensione apud Syndicos professus erat (in causae ἀνακρίσει, ut videtur), ὀφείλεσθαι τὴν προῖκα τῆς ἀδελφῆς καὶ ἑπτὰ μνᾶς, ἃς ᾤχετο (Aristophanes) λαβὼν παρὰ τοῦ πατρὸς τοῦ ἐμοῦ (§ 32).

Quae adversus hunc oratorem instituta erat ἀπογραφὴ eo pertinebat, ut accusaretur partem bonorum Aristophanis tenere, quae iam publicata essent. Contra defendebat reus ea, quae possideret, sibi a maioribus relicta et iuste acquisita esse (§ 9.), itaque μὴ ἔχειν (fort. inserendum τι) τῶν Ἀριςοφάνους χρημάτων (§ 32). Non a magistratu quodam, aut ex mandato hanc fuisse institutam accusationem, sed ab inimicis, satis

conficitur ex iis quae dicuntur § 2. sq. et 64: et tamen, ut aequum erat, appellatur ἀγὼν πρὸς τὸ δημόσιον. Eiusmodi ἀπογραφὴν rectissime sane in publicis actionibus numerat Meierus Lit. Att. p. 255, et poterat fortasse hoc, si opus esset, confirmare his verbis (§ 55) περὶ μὲν οὖν αὐτῆς τῆς γραφῆς — ἀκηκόατε· nisi restituendum ibi ἀπογραφῆς. Unde autem conficiat Meierus ibid. p. 257. not. 36. quatuor talenta repeti ex bonis huius, qui causam defendebat, plane ignoro. Sed mira prorsus ea doctrina est, quam tuetur idem vir praestantissimus, Bon. Damn. p. 208. fin. Contendit enim, qua actione quis τὸν ἀπογράφοντα in ius vocet, demonstrans nihil penes se esse, quod publicum sit, eam ipsam quoque ἀπογραφὴν appellari, idque effici ex his verbis Harpocrationis V. ἀπογραφή· μή ποτε καὶ εἶδός τι δίκης ἐςὶν ἡ ἀπογραφή. εἰ γὰρ ἀρνοῖτό τις μὴ ἔχειν, ἀπογραφῆς (sic corrigit Meierus ex aliis Lexicographis, qui idem iisdemque verbis Scholion habent) ἐκρίνετο, ὡς οὐκ ὀρθῶς γεγενημένης τῆς ἀπογραφῆς. Omitto incredibiles turbas quae in iure civili necessario oriuntur, si contrariae actiones eodem nomine appellentur non criminis, sed eius quod in altero tantum fingi potest: omitto hoc ipsum, sicut vere et recte ἀπογραφὴ appellatur eius actio, qui alterius bona publicanda esse

contendit, ita falso idem nomen imponi alteri, qui istam actionem aggreditur aut ab ea se defendit: sed ne ex ipsis quidem istius Scholii verbis recte demonstratur id, quod vult Meierus. Nam, siquidem ἐκρίνετο nullum aliud in syntaxi subiectum habet praeter τις, et hic, qui negaret se quidquam habere, secundum Meierum, in ea, quam fingit, actione actor sit, non reus, quo modo dici potest κρίνεσθαι, quum constanti usu κρίνειν usurpetur de in ius vocando? Tum, etiamsi quis corrigendum censeret ἔκρινε, quis umquam audivit genitivum cum hoc verbo iungi eius nominis, quae ipsam indolem, non obiectum, actionis indicat? Umquamne reperimus εἰσαγγελίας κρίνειν τινα, aut ἐνδείξεως, aut φάσεως? Ne Grammatici quidem umquam sic locuti sunt. Sed operae pretium est, quoniam semel adorti sumus hanc quaestionem, ipsa Meieri verba considerare. »Si inquit, ex iis, quae ille in in»dicem retulerat, suum quidpiam aliquis esse »contendebat, et ad illum, cuius bona publica»rentur, pertinere negabat, utebatur contra τὸν »ἀπογράφοντα actione ἀπογραφῆς: hanc enim non »solum tum, cum quis ex bonis proscripti contra »delatorem quidquam se habere negabat, ὅταν »ἀρνοῖτό τις μὴ ἔχειν τὸ ἀπογεγραμμένον δημόσιον, »verum tum quoque locum puto habuisse, cum

»quis inter bona proscripti aut errore aut dolo »malo aliquid, quod e suis bonis esset, descri»ptum esse contendebat; qui si causa vicerat, »quae ni fallor ad undecim virorum iurisdictio»nem pertinebat, ὁ ἀπογράφων mille drachmis »atque ea infamia puniebatur, ut nunquam ei »iterum ἀπογραφὴν facere liceret." Distinctius etiam, quid velit, explicat altero loco, Lit. Att. p. 255. sqq. Istorum autem pleraque diligenter disputata sunt: unum est, quod requiro, ut istius appellationis, actionem contrariam ipsam quoque ἀπογραφὴν dici, vel levissima ex oratoribus auctoritas excitaretur: contra, ἀπογραφὴν ποιεῖσθαι, ut apud Demosth. adv. Nicostrat. init. et passim alibi, semper de ipso auctore publicationis bonorum dicitur. Meierus tamen p. 256 ubi accurate causarum genera persequitur, quae ex omni illo instituto oriri solerent, ἀπογραφὴν ita impugnari posse scribit, ut contendatur id, quod per eam publicaretur, privatum esse iure quaesitum, et hanc quoque aggressionem, secundum Grammaticos, ἀπογραφὴν appellari, quum explicaretur πόθεν ἔχει τὰ χρήματα καὶ πόσα ταῦτα εἴη. Manifesto hoc quoque nititur Harpocrationis verbis initio istius Scholii: ἀπογραφὴ ὅταν τις λέγῃ τινὰ ἔχειν τι τῶν τῆς πόλεως, ἀπογραφὴν ποιεῖται ὁ ἐναγόμενος, δηλῶν πόθεν ἔχει τὰ χρήματα, καὶ

πόσα ταῦτα εἴη. Sed quo argumento demonstratur in his verbis sermonem esse de eo, cuius bona praeter ius publicantur? Participio, credo, illo, ὁ ἐναγόμενος. Non dicam nunc verbum illud oratoribus ipsis incognitum esse: accipiamus poni posse pro ὁ εἰσαγόμενος· erit tamen is, qui ab altero in ius vocatur: cuius defensio, quomodo ipsa quoque *actio* (ut putat Meierus) appellari potuit? Tum vide, quam inepte loquentem faciat Grammaticum per illam interpretationem: actio enim illa, quam fingit Meierus, sic non opposita erit alterius ἀπογραφῇ, sed tantum ὅταν τις λέγῃ κ. τ. λ. Multo magis consentaneum erat ut κατηγορίας δίκην institueret. Multo minus formula libelli (δηλῶν πόθεν ἔχει κ. τ. λ.) indicio est actionem indicari eius, qui ἀπογραφὴν repellat. Etiamsi enim concederetur ab eo demonstrari opus fuisse unde quidque haberet, quod alter scilicet publicum esse argueret, minime tamen necesse erat ut quanta ea pecunia esset recenseret: sufficiebat enim ostendere, non aerario deberi ea, sed iure quaesita esse. Postremo ne credibile quidem est Grammaticos eiusmodi actionem explicare voluisse, cuius nusquam exemplum exstaret, omissa praesertim ea interpretatione τῆς ἀπογραφῆς, quae plurimis locis illustrandis apta esset. Talia nec per se ferenda sunt, tum multo minus

eorum inaudita consectaria probanda. Potius est vitium agnoscere in Harpocratione, et participium ὁ ἐναγόμενος mutare in ἄνευ ἀγῶνος. His, si diligentia quaedam exspectanda est in talibus Scholiis, aptius subiicietur mentio eius ἀπογραφῆς, quae vere actio et accusatio cuiuspiam haberi poterat (εἶδός τι δίκης) in eum, qui argueretur aliquid de publico possidere, (sicut in causa quam agit orator *de Bonis Aristophanis;*) quippe si is negaret se quidquam δημόσιον habere, illa actione ἀπογραφῆς ab adversario petitus in iudicio defendebat (et hoc est ἀπογραφεὶς ἐκρίνετο), proscriptionem iure non factam esse. Quapropter reliquos Grammaticos potius corrigendos esse censeo ex Harpocrationis constanti lectione.

Necessario duplex vocabuli ἀπογραφῆς explicatio proponitur ab interpretibus quum veteribus, tum recentioribus: nunc autem quaerendum est de postrema interpretatione, ex qua εἶδός τι δίκης appellatur ab Harpocratione. In eo enim non satis diligenter mihi versari viri docti videntur, quod *proscriptionem bonorum publicandorum* distinguunt ab ipsa *actione.* Ipsa actio ἀπογραφὴ dicebatur, nihilque continebat libellus, ut in praesenti causa de bonis Aristophanis, nisi ea bona latere apud reum, ideoque publicanda esse; neque ulla recensio singulorum, quae peterentur,

addebatur. Hinc, qui contra Philocratem ἀπογραφὴν instituit, (Lys. p. 827.) arguit ὅτι ἀληθὴς οὖσα τυγχάνει ἡ ἀπογραφή, quod tantas divitias non nisi ex Ergoclis bonis acquirere potuerit Philocrates: nulla agebatur recensio singulorum, nam universa aerario petebantur. Et hoc est illud, quod in prima interpretatione posuit Harpocration, πόθεν ἔχει τὰ χρήματα· alterum illud, καὶ πόσα ταῦτα εἴη, definiri fortasse potuit ea opinione, quam actor haberet de magnitudine pecuniae aerario surreptae: quantum igitur huic post publicata Aristophanis bona, aut Ergoclis, deesset, id omne petebatur nova hac actione tum ab Aristophanis affine, tum a Philocrate.

Cum hoc genere causarum confundere mihi videtur Meierus eam causam, quae tractatur apud Demosthenem in Orat. Contra Nicostratum. Apollodori enim ἀπογραφὴ non fuerat actio, sed inventarium bonorum Arethusii, ex lege proscriptum, postquam is, non soluta mulcta talenti ex iudicio ψευδοκλητείας, debitor aerarii exstitisset. In hoc inventario quum, praeter alia Arethusii bona, descripta essent tria mancipia, quae non Arethusii, sed sua esse contendebat Nicostratus, hic in ius vocat Apollodorum, sed quo genere actionis, non manifesto constat. Non potuisse hanc appellari ἀπογραφῆς, supra effeci.

Ex ipsa defensione nihil aliud colligere licet, nisi quod, si victus esset in hoc iudicio Apollodorus (i. e. si paruisset illa tria mancipia falso in bonorum inventarium ab eo fuisse relata), mille drachmarum mulctam sustinuisset, et ab omni γραφῆς instituendae iure dein exclusus fuisset (non ἀπογραφῆς, ut refert Meierus Bon. Damn. p. 209: conf. Demosth. p. 1246. 10. μήποτε αὖθις μηδένα ὑπὲρ ἐμαυτοῦ γράψασθαι, quae minime ad quamcumque ἀπογραφὴν restringuntur, sed ad quasvis publicas actiones pertinent, luculento indicio, Apollodori ἀπογραφὴν non nisi necessarium fuisse consectarium eius, quam prius obtinuisset, causae ψευδοκλητείας). Statim initio defendit se non συκοφαντοῦντα τὴν ἀπογραφὴν ποιήσασθαι· neque tamen hinc conficiendum est Nicostrati actionem fuisse συκοφαντίας. Ex aliarum actionum analogia suspicor eam ψευδαπογραφῆς appellandam fuisse, quamquam fateor huius appellationis nusquam exstare exemplum.

Sed, ut redeamus ad causam de bonis Aristophanis, nondum satis constare video Meiero apud quem magistratum ἀπογραφή, quam repellit Aristophanis affinis, fuerit instituta. In libro de Lit. Att. p. 258. fin. actionem contra ἀπογραφὴν apud XI viros, et quodam tempore apud Syndicos instituendam fuisse dicit. De illa actione con-

traria quid mihi videatur, supra dixi. Sed omnino istius iurisdictionis nulla exempla aut auctores memorat: itaque tacite remittimur ad librum de Bon. Damnatorum. Istic p. 209 idem dicitur; quae (nempe contraria actio; de ipsa directa actione nihil docetur) »ni fallor ad undecim virorum iurisdictionem pertinebat:" et p. 210, de iisdem »quos iurisdictionem τῶν »ἀπογραφῶν aliquam habuisse probavimus." Sed aut nihil probaverat, aut quid sit probare in huiusmodi quaestionibus nescio. Nam quod Etymol. M. Scholion. V. ἕνδεκα subiicitur, quare mihi non satis esse videatur, aliquoties iam significavi: fac autem gravem esse auctoritatem, non tamen diserte id traditur, quod vult Meierus: εἰσῆγον δὲ καὶ τὰ ἀπογραφόμενα χωρία οἰκίας, καὶ τὰ δημόσια εἶναι δόξαντα ἀπεδίδουν τοῖς πωληταῖς (ex verissima correctione Sluiteri). Quam lubrica sit horum verborum interpretatio, ipse documento est Meierus, qui in eadem disputatione paulo ante, p. 206, inde confecerat, bonorum indicis conficiendi negotium mandari solitum fuisse undecim viris; quamquam hoc quidem nullo modo traditur in illo Scholio. Sed ipsa, quae tradit, ut aliquam certe sententiam probabilem continerent, Meierus altero loco (p. 209) corrigendum esse vidit in hunc modum, εἰσῆγον δὲ καὶ τὰς

ἀπογραφάς] τῶν ἀπογραφομένων χωρίων, οἰκιῶν. Postea tamen hanc correctionem minus necessariam esse dixit, Lit. Att. I. p. 77, verbaque sic explicari posse, ut undecimviri intelligantur indices bonorum publicatorum vel fecisse, vel accepisse, quaeque inde orirentur actiones ad tribunal deduxisse. Equidem non acquiesco in hac interpretatione, et si possem, mire tamen loqui Grammaticum iudicarem, qui dixerit eos *fecisse* vel *accepisse* indices, quae tam diversa inter se sint, ut permutari aut simul cogitari nequeant. Aliquanto cautius igitur enunciavit Schoemannus Antiq. Iur. Publ. Graec. p. 246, »designatio- »nes (ἀπογραφὰς) ad undecimviros fieri, qui ea »(bona) in publicum redigenda, et si qua de iis »controversia moveretur, causam iudicibus cog- »noscendam traderent, quorum ipsi consessui »praeessent:" quamquam non cognoscendam, sed iudicandam dicere oportebat. Sed ipse Grammaticus ea coniungit, quae minime coniuncta fuisse probabile est. Nam quod postremo loco ponit (τὰ δημόσια — πωληταῖς) verissimum esse puto, et conspirat cum reliquis undecimvirorum muneribus, ut, quam tribunal poenam irrogavisset, eam exsequerentur, si nempe aut ipsi qui deliquissent (ut per ἀπαγωγὴν) iis traditi essent, aut bona indicata (ut per ἀπογραφὴν ex populi aut

iudicum sententia factam.) **De maleficis tamen prius ad Heliaeam referendum erat**, quemadmodum de iis, qui, *γονέων κακώσεως* aut *ἀστρατείας ἡλωκότες*, quum ideo *ἄτιμοι* essent, tamen iura civium usurpavissent, itaque ad Undecimviros abducti essent; atque ita, ut illi tribunali tum hi ipsi praeessent. Neque enim assentior Meiero (Lit. Att. III. p. 236. not. 79) verbum *εἰσάγειν* in lege, quae apponitur a Demosthene Timocr. p. 733. 13, sic interpretanti, tamquam non nisi *sistere reos* intelligeretur in eo tribunali, cui alii magistratus praeessent. Duo enim, quae comminiscitur ut hanc interpretationem defendat, nullo modo concedi possunt: primum in verbo *ἀπαχθῇ* apud Demosthenem non cogitandam esse *ἀπαγωγήν*, qualem vulgo intelligamus, sed deductionem quae per magistratus ex officio fieret, ut per Thesmothetas: novi *ἀπαγωγὴν ὡς τοὺς θεσμοθέτας*, sed ab his ad Undecimviros *deduci* potuisse quem, ne alius quidem locus, Aristocr. p. 630. 13, evincit: praeterea, quae causa esse poterat, ut in ea lege non in genere de *ἀπαγωγῇ*, sed de una tantum forma diceretur? Alterum est, quod ideo istud *ἀπαχθῇ* non ad sollemnem *ἀπαγωγῆς* actionem referri posse putat, quod verbis *κατηγορείτω δὲ ὁ βουλόμενος* demum actor in ea causa designetur. Vellem reputasset vir praestantissi-

mus (quoniam latere sane eum non poterat) neque omnino, neque in istiusmodi legum formulis, κατηγορεῖν de actione instituenda dici; si de actione unicuique concedenda sermo sit, usurpari hanc formam, γραφέσθω ὁ βουλόμενος, aut per aliud sollemne et iudiciale verbum enunciari hoc; sed hoc loco ne hoc quidem intelligi, si quidem sermo sit de iis, contra quos ἀπαγωγῆς actio iam instituta sit; tum κατηγορεῖν nihil aliud esse, nisi arguere et criminari eum, qui iam in iudicio constitutus sit per alium, quemadmodum in ipsa Timocratis lege p. 720. 27, de iis qui ex εἰσαγγελίᾳ (igitur per τὸν εἰσαγγέλλοντα) in iudicium traducerentur; ipsum adeo locum, quem ea formula (κατηγορείτω ὁ βουλ.) occupet in lege, satis indicare non referri hoc ad actorem; (qui ordo servatur in alia quoque lege, Timocr. p. 717. 23.) postremo, usu sermonis etiam diversum esse κατηγορεῖν ab actione instituenda, sicut v. c. intelligitur ex notissimo illo Demosth. Pro Coron. p. 230. 7. κατηγορεῖ μὲν ἐμοῦ, κρίνει δὲ τουτονί· sicut ibid. p. 228: εἰ μὲν οὖν περὶ ὧν ἐδίωκε μόνον κατηγόρησεν Αἰσχίνης· Contr. Neaer. p. 1347. 5: ἔξω τῆς γραφῆς πολλὰ κατηγορῶν. Conf. Androtion. § 24.

His de causis non video, quare istis iudiciis non praefuisse existimentur Undecimviri, plane

sicut furti similibusque, quorum ad ipsos erat ἀπαγωγή· neque aliud patitur diserta formula in illa lege, εἰσαγόντων εἰς τὴν Ἡλιαίαν, a qua distat altera in alia lege, τοῖς Θεσμοθέταις εἰσάγειν τοὺς Ἕνδεκα εἰς τὸ δικαστήριον, quoniam istic de εἰσαγγελίᾳ agitur, cuius cognitio non Undecimvirorum, sed Thesmothetarum erat (Demosth. p. 720. 24).

Restat altera pars Scholii (εἰσῆγον δὲ καὶ τὰ ἀπογραφόμενα χωρία, οἰκίας.) Mira sane loquendi forma; si quidem εἰσάγειν non nisi vel ad reos, vel ad actiones pertinet. Sed ne ea quidem sententia, quae ex Meieri correctione oritur, (καὶ τὰς ἀπογραφὰς τῶν ἀπογραφομένων χωρίων, οἰκιῶν) probari posse videtur: satis quippe supra firmasse mihi videor, de contrariis actionibus, quae ipsae quoque ἀπογραφαὶ appellarentur, cogitari non posse. Rursus, Undecimviros indices aut fecisse, aut accepisse (quae posterior est Meieri interpretatio), non quidem per se alterutrum absurdum est, sed tamen quum aliunde, tum ex defensione contra Nicostratum, et ex ipsa rei natura aequum est ut statuamus, eum, qui primariam actionem instituerit, superaveritque adversarium, ipsum quoque, damnato eo, et, in causa mulctae non tempore solutae, (sicut apud auctorem Contra Neaer. p. 1347. fin.) ὑπερημέρῳ facto, ἀπογραφὴν

confecisse, ac tradidisse τοῖς Ἕνδεκα. Sed neque hoc, neque alterum illud (παραδιδόναι τοῖς Πωληταῖς) confundi oportet cum iurisdictionis auctoritate. Quoniam autem Syndicorum quoque mentio in hoc iudiciorum genere fieri solet, prius in hos inquiramus, quam ulterius Undecimvirorum munus et potestatem definiamus.

Syndici in hac causa ἀπογραφῆς apud Lysiam memorantur Bon. Aristoph. § 32: καὶ πρότερον πρὸς τοὺς συνδίκους καὶ νῦν ἐθέλομεν πίστιν δοῦναι — μὴ ἔχειν τῶν Ἀριστοφάνους χρημάτων κ. τ. λ. de quo loco recte Meierus Bon. Damn. p. 215, πρότερον suspicatur ad ἀνάκρισιν referendum esse. Et magistratum fuisse hoc nomine, μετὰ τὰ ἐκ Πειραιῶς institutum, sed Isaei aetate non amplius cognitum (in cuius fragm. initio pro οἱ legam ὅτι) ex Harpocrat. v. Σύνδικοι novimus; tum ex Lysiae fragm. apud eumdem (πρὸς τοῖς συνδίκοις ἀπογραφὰς ἀπογράφων) et publicas fuisse actiones, ἀπογραφάς, et institui iuris fuisse eas apud Syndicos: apud quem magistratum ante democratiam instauratam institutae fuerint ἀπογραφαί, v. c. de quibus loquitur Lysias Agorat. § 65, praeterita tempora, ut mihi videtur, indicans, ignoramus. Huius magistratus et instituendi opportunitas et appellandi ratio non obscura mihi esse videtur. Nam, quamquam lege et pacto ἀμνηστίας

peculiarium delictorum, paucis exceptis, iudicia vetita erant, repetere tamen mox instituerunt quae aerario deberi et vindicari oportere videretur: nec mirum, si huic uni causarum generi cognoscendo peculiarem praefecerunt magistratum, eosque, quod aerarii, aut ipsius civitatis iura et commoda tuerentur, συνδίκους, tamquam defensores, appellaverunt. Statim exstitit eorum negotium in eo, quod ad ipsos deferebantur ii, qui in equitum ordine, sub XXX viris meruerant, non ut de his poena sumeretur, sed ut κατάςασιν aerario rependerent. (Lysias Mantith. § 7.) Existimabantur enim hi, credo, quum κατάςασιν illam per anarchiam accepissent, praeter ius accepisse, itaque tenere id, quod δημόσιον esset. Sed eodem iure, opinor, publicata bona sunt, post anarchiam, eorum, qui beneficio ἀμνηςίας tunc exclusi erant, de quibus egit Meierus Bon. Damn. p. 187. sqq. Quumque isti libertatis fautores et patroni haud ita multo post in idem fere vitium incidissent, propter quod oligarchiam exosi erant, quodque huic imperio tum acerbe obiiciebatur, ut, ubi res publica pecunia indigeret, facile optimos quosque cives, si locupletes essent, in ius vocarent, damnatorumque bona publicarent, nihil magis tam flagitioso instituto consentaneum erat, quam ut, his iudiciis quoquo

modo peractis, bonorum ἀπογραφὰς apud eosdem Syndicos fieri vellent. Illam turpitudinem Lysias non tantum adv. Nicom. p. 861 memorat, sed manifestissimum eius indicium exstat in hac ipsa de Bon. Aristoph. oratione § 11, ubi dicit orator: χαλεπὸν — ἀπολογεῖσθαι πρὸς δόξαν, ἣν ἔνιοι ἔχουσι περὶ τῆς Νικοφήμου οὐσίας, καὶ σπάνιν ἀργυρίου, ἣ νῦν ἐςὶν ἐν τῇ πόλει, καὶ τοῦ ἀγῶνος πρὸς τὸ δημόσιον ὄντος: eodemque pertinent ea, quae dicuntur Bon. Eucrat. § 17 et 20. Itaque multi in ius vocabantur, quod κλέπτειν καὶ δωροδοκεῖν arguebantur, ideoque vere ea tenere, quae civitatis essent (unde crebro de reo ad iudices dicit actor, ὅτι τὰ ὑμέτερα ἔχει aut τὰ τῆς πόλεως· conf. Lys. in Ergoclem, et alibi passim.) Tum ne hoc quidem negligendum est, in ipsis his actionibus cum peculatus crimine coniungi solitum fuisse crimen perduellionis, quasi ὀλιγαρχίαν ἐκ δημοκρατίας καθιςάναι reus cogitaret: Lys. in Ergocl. § 7 et 11. Hac igitur specie tuebantur eiusdem potestatis Syndicorum continuationem, qui initio in causa repetendorum τῶν δημοσίων extra ordinem fuerant instituti.

His de causis coniicio illas tantum ἀπογραφὰς, i. e. designationes bonorum publicandorum, ad Syndicos fuisse delatas, quae ex eiusmodi crimi-

nibus, ὅτι τὰ τῆς πόλεως τις ἔχοι, orirentur. Publicatio autem (δήμευσις) quum vel ex lege peti posset, vel ex iudicum sententia demum et condemnatione, non nisi postremum genus partim ad Syndicos pertinuisse arbitror. Itaque quum indicta causa sublatus esset Aristophanes, (§ 7.) ne pronunciata quidem bonorum eius publicatione, aliquis ἀπογραφὴν deferre potuit ad Syndicos, quae, si ex qualicumque iudicio sequeretur, ipsa per se impugnari a nemine poterat, nec nisi ea vindicari ab alio poterant, quae falso in indicem istum relata quis contenderet. Sed perfecta iam publicatione ac distractione (ἤδη δεδημευμένων, § 31.) quum eventus non responderet opinioni divitiarum Aristophanis, nova videtur ab accusatore ἀπογραφὴ ad Syndicos delata esse bonorum affinis eius, qui hanc habuit orationem, quod is bonam partem bonorum Aristophanis teneret. Et huiusmodi demum ἀπογραφὴ vere actio publica erat, quod rei publicae, i. e. aerarii causa agebatur, unde a reo ἀγὼν πρὸς τὸ δημόσιον dicebatur. Eiusdem igitur generis causa erat adversus Philocratem, quem adversarii eodem nomine aggrediebantur (nempe ὅτι πολλὰ τῶν Ἐργοκλέους εἶχε χρημάτων, § 1. quorum bonorum οὐδὲν ἐν τῇ πόλει φαίνεται· cuius locutionis quum difficile sit propriam vim explicare, ita ut sit

eiusdem sententiae, quemadmodum σώζεσθαι τῇ πόλει dicitur Bon. Eucrat. § 20; mihi aliquando orta suspicio est, pro πολει, legendum esse πώλῃ, cuius vocabuli auctores profert Harpocration, ex eoque Suidas). Nec minus ad Syndicos delata est ἀπογραφὴ in Eucratis filium, quod is paterna bona aliorumque cognatorum teneret, quos sycophantae, nescio qua διαβολῇ, τὰ τῆς πόλεως ἔχειν accusarent, quam repellit orator. Haec mihi certe commodior interpretatio eius causae esse videtur, quam quae Meiero placuit, qui (Lit. Att. p. 253) eam actionem παρανόμων esse putat: et forte fortuna defensor quum dicit certamen sibi esse non tantum περὶ τῆς οὐσίας, sed etiam περὶ πολιτείας (§ 1.) idem dicit quod in alia causa ἀπογραφῆς Polyaenus (Defens. Veterani § 21).

Non iniuria alia Lysiae oratio, quae inscribitur Ἀπολογία δωροδοκίας, a Meiero refertur ad genus causarum, quae ἀπογραφὴν continerent: nullius enim poenae mentio fit in illa defensione, sed non nisi τὰ ὄντα ἀπολέσαι deprecatur orator (§ 11. fin.) profiteturque se νυνὶ κινδυνεύειν ὡς τοῦ δημοσίου χρήματα ἔχοντα (§ 16.) Dicit sane alio loco (§ 21) ὑμῶν δέομαι — μὴ καταγνῶναι δωροδοκίαν ἐμοῦ, et (§ 22) ἐπὶ τῷ τῆς πόλεως κακῷ παρὰ τῶν ἄλλων δωροδοκεῖν· sed istud cri-

men in *αἰτίαις* esse potuit, quibus *οἱ κατήγοροι* in ipsa iudicii disceptatione usi essent, de quibus ante satis respondisse sibi videbatur orator (*περὶ μὲν τῶν κατηγορημένων — ἀποδέδεικται.* § 1). Contra diserte memoratur ipsa *ἀπογραφή*, facta per *τοὺς ζητητάς* (§ 16:) de quibus dubitandum non est quin extra ordinem ad tempus creati fuerint ex psephismate, sicuti aliquot annis post eosdem creatos novimus, ex Demosthene Timocr. p. 703. 10 (nescio qua de causa Boeckhius Oecon. Civ. I. p. 170. not. 31 indicare maluerit Argumentum eius orationis, p. 696. 9, ubi tamen, ex ipso Demosthene, corrigendum erit *καὶ πρὸς τούτους μηνύειν.*) Neque tamen hos ipsos *ἀπογραφὴν* instituisse credibile est, sed, ut apud Demosthenem Euctemon dicitur *μηνῦσαι*, sic in illa Lysiaca causa alium exstitisse, qui *πρὸς τοὺς ζητητὰς* deferret *ἀπογραφὴν* (actionem *ὡς ἔχοι τὰ τῆς πόλεως*) in hunc reum: et apud Andocidem quoque Myster. aliquoties, quamquam in diversa re, *μηνύειν* et *ἀπογράφειν* inter se permutantur, itemque apud Isaeum.

Videri possunt igitur eodem munere functi esse Syndici et Zetetae, utrique ad tempus creati (nam quare Syndicorum fuerit *ἀρχὴ κληρωτή*, nullam rationem commemoravit Meierus Lit. Att. p. 111.) sed aliis temporibus alio nomine appel-

lati fuisse. Tertia appellatio magistratus in hoc negotio συλλογεῖς. Sed vanum mihi videtur esse id, quod apud Grammaticos de his traditur, ἀπεγράφοντο τὰς οὐσίας τῶν ὀλιγαρχικῶν, neque viros doctos (Boeckhium, Meierum, alios) oportebat inde conficere pertinere hoc ad tempora vel Quadringentorum, vel XXX virorum: nusquam in iis scriptoribus Atticis, quos superstites habemus, memorantur, et fieri potest ut, quum nonnumquam sycophantae εἰσαγγελίαν instituerent in eos, quos oligarchicos appellarent (sicut in eum qui se defendit Lysiae oratione de Affectata Tyrannide), in horum poenis publicatio quoque bonorum pronunciaretur, quam persequi potuerit accusator delata ἀπογραφῇ ad hos συλλογεῖς: quamquam, ut supra vidimus, in criminibus nonnumquam eius ἀπογραφῆς, quae instituebatur in eum, qui bona civitatis tenere arguebatur, memorabatur etiam ὀλιγαρχίαν καθιστάναι, quod fraudi fuisse puto Grammatico qui quod traderet ornare voluerit. Destinato consilio magistratus umquam fuisse institutos adversus oligarchicos, non facile credam. Et, si iure nonnumquam diffidere licet istis Grammaticorum Scholiis, iure, ni fallor, hoc postulamus, ut appellatio cuiusdam potestatis cum hac ipsa conveniat; id, quod prorsus requiritur in iis, quos συλλογεῖς describit Lexicon Rhet. Si, ut

aequum est, ratio habetur eius verbi (συλλέγειν) unde isti appellati fuerint, sicut in aliis, qui rectissime ἐκλογεῖς nominabantur, necesse est ut fingamus eos fuisse, qui, quae per ἀπογραφὰς in indices relata essent bonorum publicandorum, a possessoribus exigerent, et fortasse publice distraherent: alii certe τοῦ δήμου συλλογεῖς, de quibus ex Inscriptione agit Boeckh. Oecon. Civ. II. p. 253, non ἀρχῇ, multoque minus ἡγεμονίᾳ δικαστηρίου, sed ministerio quodam functi esse videntur.

In his omnibus, quae recensuimus, non tantum publica actio erat ἀπογραφή, sed eiusmodi quoque quae non ex legibus, verum ex peculiari psephismate aut ex εἰσαγγελίας indicio, ad magistratum huic ipsi negotio extra ordinem constitutum deferretur. Sed prorsus diversi generis erat ἀπογραφή, quae ex lege deferebatur contra eum, qui ὀφείλων τῷ δημοσίῳ esset. Huc pertinet tum causa militis apud Lysiam Defens. Veteran., tum Arethusius ἀπογραφεὶς ab Apollodoro, apud Demosth. Contr. Nicostratum: quam illarum causarum indolem non satis mihi videtur definivisse Meierus Lit. Att. p. 258.

Sed harum causarum, in quibus ex lege, erga τοὺς ὀφείλοντας τῷ δημοσίῳ, fieret publicatio bonorum, ἀπογραφὴ pertinuisse mihi videtur ad

Undecimviros; itaque liberandos esse Athenienses falsa specie, quasi eidem negotio plures eosque diversos magistratus praepositos habuissent, itaque disciplinam civitatis turbavissent.

Sed ἀπογράφειν et ἀπογράφεσθαι extra iudicium is quoque dicebatur, qui sponte profitebatur quantum rei publicae nomine teneret, idque pendere volebat. Et hoc credo restituendum esse huius orationis § 50. Quum nonnullis exemplis docuisset orator quantum, in multis hominibus, opinio divitiarum a vero distitisset, in mortuis hoc minus esse mirandum dicit, sed talia mendacia in vivis etiam audiri. »Ipsi enim nuper »in concione audivistis ὡς Διότιμος ἔχοι τάλαντα »τετταράκοντα πλείω ἢ ὅσα αὐτὸς ὡμολόγει παρὰ »τῶν ναυκλήρων καὶ ἐμπόρων λαβεῖν· καὶ ταῦτα, »ἐπειδὴ ἦλθεν, ἐκείνου ἀπογραφέντος καὶ χαλεπῶς »φέροντος ὅτι ἀπὼν διεβάλλετο, οὐδεὶς ἐξήλεγξε· »δεομένης μὲν τῆς πόλεως χρημάτων, ἐθέλοντος »δὲ ἐκείνου λογίσασθαι" Recte quidem repudiata coniectura est Valesii, ἐπιγραφέντος legentis pro ἀπογρ., sed hoc ipsum leviter corruptum esse contendo. Interpretatur, ut aequum erat, Bremius dici de eo ἀπογραφῆναι, qui accusetur, ut bona publicentur. Sed nondum accusabatur Diotimus: iacta tantum erat διαβολὴ in concione, accusatio nulla instituta erat nec potuerat institui:

exspectari poterat demum, ut satis diserte significat orator in seqq., εἰ ἔπαθέ τι Διότιμος πρὶν καταπλεῦσαι δεῦρο· et tum grave fuisset cognatis eius πρὸς τοσαύτην διαβολὴν ἀπολογεῖσθαι. Contra, quum domum rediisset, statim retulit quae civitatis nomine, aerario debita, teneret; idque dicebatur ἀπογράφειν, cuius alterum exemplum habet Lysias Contr. Ergocl. § 5. (ἐψηφίσασθε τὰ χρήματα ἀπογράψαι τὰ ἐκ τῶν πόλεων εἰλημμένα καὶ τοὺς ἄρχοντας τοὺς μετ' ἐκείνου καταπλεῖν εὐθύνας δώσοντας) in quo item nulla mentio accusationis, aut ἀπογραφῆς ante institutae: tum, quamquam in re diversa, ἀπογράφειν eodem sensu usurpatur apud Xenoph. Hellen. III, 1, 22. Quapropter in Lysia legam ἀπογράφοντος. Et haec ἀπογραφὴ fiebat apud Logistas, quoniam, iuris publici interpretatione, harum quoque captarum pecuniarum nomine ὑπεύθυνος erat Diotimus: idque satis indicatur verbis ἐθέλοντος λογίσασθαι. redditasque esse has rationes, sed neminem exstitisse qui eum male redditarum accusaret, ostenditur verbis οὐδεὶς ἐξήλεγξε, quemadmodum Demosthenes Aeschini obiicit (pro Coron. p. 266. 9) ὅτε με εἰσῆγον οἱ λογισαὶ, οὐ κατηγόρεις.

§ 4.

Loci singulares in Oratione pro Bonis Aristophanis explicantur et emendantur.

Pag. 615. ἀκούω — ὅτι πάντων δεινότατόν ἐςι διαβολή. Non miratus esset haec Taylorus, si reputasset iuvenem esse, cui haec scripta oratio esset, certe nondum expertum iudiciorum vicissitudines malasque artes.

Pag. 620. ἐδεήθη δοῦναι τὴν ἀδελφὴν τῷ υἱεῖ τῷ Νικοφήμου. Necessario legendum τὴν ἐμὴν ἀδελφὴν, ut loquitur pag. 634. Orat. Contr. Neaer. p. 1345. 18. ἔδωκεν Ἀπολλοδώρῳ θυγατέρα μὲν αὑτοῦ ἀδελφὴν δὲ ἐμήν. Vidit hoc Taylorus. — Statim sequuntur haec: ἐπείσθη δοῦναι, οὐκ εἰδὼς τὴν ἐσομένην διαβολὴν, ἀλλ' ὅτε καὶ ὑμῶν ὁστισοῦν ἂν ἐκείνοις ἠξίωσε κηδεςὴς γενέσθαι. Receperunt Bremius et Foertschius hanc Sluiteri coniecturam, ἀλλ' ὅτε pro ἄλλως τε, aliis libris ἄλλοτε praebentibus. Sed relativum istud, ὅτε, sic nimis remotum est ab eo, quo referri oportet, ἔν γε τῷ τότε χρόνῳ ἀρέσκοντας: multoque minus haec per particulam ἀλλὰ opponuntur praecedentibus οὐκ εἰδὼς τ. ἐσ. δ. Credo simplicius esse ἀλλ' ὅτι, ut sensus sit »nihil »quidquam suspicatus futuram calumniam, sed

»unumquemque vestrum istam affinitatem libenter »contracturum fuisse." — Mox corrigendum, ἔπειτα ὅτι γε —.

Pag. 623. ἐλάττω συνεβούλευσεν· ὥςε εὖ εἰδέναι. — Turbat haec interpunctio sententiarum vinculum: deleto colo, hoc dicetur: »ut mino»rem peterem dotem consilium mihi dedit ea »conditione, si scirem me honestis usurum esse »affinibus."

Pag. 628. sqq. Turbatum est in iis, quae narrantur de Demo Pyrilampis filio: — λέγων ὅτι ἔλαβε σύμβολον παρὰ βασιλέως τοῦ μεγάλου φιάλην χρυσῆν καὶ ὡς Ἀριςοφάνη λαβεῖν ἑκκαίδεκα μνᾶς ἐπ᾽ αὐτῇ, ἃς ἔχοι ἀναλίσκειν εἰς τὰς τριηραρχίας. Quum nihil praesidii sit in Codicibus (καὶ ante ὡς accessit ex Laurent., tum pro ἃς alius habet ἂν), locum mutilatum sic redintegrandum esse coniicio: — φιάλην χρυσῆν, κελεύει τε Ἀριςοφάνη συμβαλεῖν ἑκκ. κ. τ. λ. — ὅσας (ex ὡς ἃς Laurent.) δέοι ἀναλ. εἰς τὴν τριηραρχίαν. Apparet enim neque ἔλαβε et λαβεῖν tam exiguo intervallo nunc recte dici, et λαβεῖν ἐπ᾽ αὐτῇ primum ad subiectum sententiae referri non posse, tum per se vix Graecum esse: et aliquanto audacius, credo, corrigatur καὶ ὡς δανείσασθαι παρ᾽ Ἀριςοφάνους βούλεται ἑκκ. —. Paulo inferius, ubi dicitur ἀκούων μὲν ταῦτα Δήμου, δεομένου δ᾽ ἐμοῦ, μέλλων

δ' ἄξειν χρυσίον, ferri non potest prius δέ, quippe haec duo tantum recensentur, ἀκούων — μέλλων· tum ἀκούων Δήμου ne per se quidem satisfacit sententiae. Legendum esse affirmo, Δήμου δεομένου δι' ἐμοῦ. Neque enim ipse Demus haec cum Aristophane egerat, sed ab affine eius petierat ut is adiret eum.

Pag. 637. ἡγοῦντο δὲ καὶ τὰ ἐκεῖ ὅμως σφίσιν εἶναι ἴσα ὥσπερ καὶ τὰ ἐνθάδε. Reiskius istud ὅμως interpretans, prorsus a sententia aberrat: »nihilominus quamvis hic Athenis agerent." Sed agebat uterque Cypri, non Athenis: neque hoc nunc quaeritur, sed quo animo sua bona tenerent, id quod melius apparebit si legimus σφίσιν εἶναι ἴδια. Hoc dicit; quamquam uterque haberet Cypri filium alter, alter filiam, tamen quae istic possideret sua esse ducebat, sicut ea quae Athenis, nec dum partitus erat cum filio, cui non nisi tantum quantum satis erat (ἱκανά) concederet. Tum adiicit, eumdem morem servari etiam ab iis, qui ex paterna hereditate locupletes sint, ut divitias ad mortem usque sibi servent; quanto magis igitur ab iis, qui sua opera acquisiverunt rem?

Pag. 638. »Si, inquit, vobis in mentem ve»niret Timothei bona publicare, ἐλάττω δὲ ἐξ »αὐτῶν λάβοιτ' ἢ ἐκ τῶν 'Αριςοφάνους, ideone

»velletis cognatos eius exuere?" Difficile est explicare, quo iure orator dicat fieri posse ut ex Timothei bonis publicatis minus etiam, quam ex Aristophanis redirent. Quippe in proximis ostendit, ex patris Cononis bonis ad Timotheum pervenisse septendecim talenta, et Aristophanis expensas explevisse fere summam quindecim talentorum. Accedit, quod ne traditur quidem quantum ex bonis Aristophanis redierit: nam, quae pag. 643 computantur, pertinent ad conficiendam summam eorum, quae Nicophemi fortasse beneficio erogare potuisset Aristophanes; et tota illa demonstratio eo pertinet, ut intelligatur plus certe ex Aristophanis bonis exspectari non oportere, quam quantum in γῆν καὶ οἰκίαν (ut verissime corrigit Marklandus in § 42) expensum esset, reliquis per liturgias aliaque onera absumtis. Credo propterea contentionem illam inter Timothei et Aristophanis bona quae publicarentur sic intelligendam esse; si ex septendecim talentis, quae a patre Nicophemo habuerit Aristophanes, quinque tamen supersint et paulo amplius mille drachmis (§ 31), fieri posse ut ex quindecim talentis, quae ex patris hereditate ad Timotheum pervenerunt, aliquanto minus superfuturum sit ad publicandum.

Pag. 648. sq. Niceratum hunc, Niciae illius clarissimi viri filium, non esse confundendum cum

Nicerato Acherdusio, quem Demosthenes bis commemorat Midian. p. 567. sq., agnoscere oportuerat Marklandum, et revocari ab intempestiva correctione, καὶ λαβεῖν, pro καταλιπεῖν. Melius distinxit Boeckhius Oecon. Civ. Athen. II. p. 13. sq. Sed molestum tamen, credo, fuit interpretibus istud ἔφη, quod vellem aliquis mihi demonstraret apte vel Niciae, vel Nicerato tribui posse, tum utri magis conveniat. Equidem corrigam ἐφάνη. Non agitur de Nicerato, sed de Niciae fortunis: hae quantae vere fuissent, non statim, sed ex filii demum (qui sub XXX viris perierat, Lys. de Bon. Eucrat. p. 602) bonorum publicatione constare poterat: igitur Νικήρατος ὅτ' ἀπέθνησκεν ἀργύριον μὲν ἢ χρυσίον (haec sunt, quae modo τὰ ἐνδὸν appellabantur) οὐδ' αὐτὸς ἐφάνη καταλιπεῖν οὐδέν, ἀλλὰ τὴν οὐσίαν ἣν κατέλιπε τῷ υἱεῖ —, i. e. totum patrimonium, quod Nicias filio Nicerato reliquit, non pluris quam quatuor talentorum est, i. e. constat nunc ita fuisse. Perierat autem in Sicilia Nicias undecim annis antequam Niceratus a XXX viris morte afficiebatur. Boeckhius, qui ἔφη verum esse putabat, rem ita explicat, ut prorsus a vero discedat. Rursus alio modo in eodem verbo erratum est pag. 650, ὥς φησι· nam quid ipsum Calliam hoc memorare oportebat? agitur potius de

fama illarum divitiarum, legendumque est ὥς φασι.

Pag. 654. Quum de Diotimo dixisset, quam temere instituta fuisset actio in cognatos eius, si ipse prius mortuus esset, ex opinione magnae pecuniae quam in bello cepisset, subiicit, multis iam hoc accidisse ut falsa in vulgus valeret opinio pecuniae, quam per belli opportunitates collegissent, aerario scilicet debitas: ἔπειτ' οἴομαι ὑμᾶς εἰδέναι ὅτι 'Αλκιβιάδης κ. τ. λ. Manifestum est, hoc esse unum tantum exemplum multorum illorum, in quibus falsa fuisset populi opinio. Sed non haec continuari possunt cum superioribus per coniunctionem ἔπειτα· requiritur αὐτίκα.

Pag. 657. »Si, inquit, enumero quae pater erogaverit εἰς τὴν πόλιν καὶ εἰς τοὺς φίλους, non facio hoc φιλοτιμίας ἕνεκα, ἀλλὰ τεκμήριον ποιούμενος ὅτι οὐ τοῦ αὐτοῦ ἐςὶν ἀνδρὸς ἄνευ ἀνάγκης τε πολλὰ ἀναλίσκειν καὶ μετὰ κινδύνου τοῦ μεγίςου ἐπιθυμῆσαι ἔχειν τι τῶν κοινῶν. In his particula τε post ἀνάγκης facile carebimus: sed certe, ut oppositio et concinnitas servetur, inserendum eo loco coniicio ἐκ τῶν αὐτοῦ.

Pag. 658. ἐν οὖν τοσούτῳ χρόνῳ δοκοῦντάς τι ἐξ ἀρχῆς ἔχειν οὐδεμίαν εἰκὸς δαπάνην πεφευγέναι. Nec Marklandus, nec Reiskius haec expedire potuit. Et Marklandus quidem, inserto οὐκ ante εἰκὸς,

locum sic interpretatur: »non verisimile est eum, »si peculatus reus fuisset, nullam impensam re»fugisse:" in quibus ut contraria inter se ponuntur *peculatus reum esse*, et *nullam expensam fugere*. Sed nemo umquam potuit accusare istum peculatus, neque cum illa conditione quidquam commune habet illud, utrum quis magnas an parvas faciat expensas. Neque Reiskius cavit ab illa falsa interpretatione. Sed particip. *δοκοῦντας* mutandum est vel in *προσδοκῶντα*, vel in *ἐπιθυμοῦντα*, et initio legendum *οὔκουν ἐν τοσ. χρ.*, ut sensus sit: *non igitur credibile est eum per tam longum temporis spatium quasvis expensas sustinuisse spe lucri cuiusdam ex aliquo magistratu capiendi*: id quod in breviori temporis spatio facilius concedi posset. — Sed ea quae statim subiiciuntur, *ὅμως δὲ καὶ μάρτυρας ὑμῖν παρέξομαι*, alienissima sunt ab hoc loco. Quid enim isti testaturi erant? Ex sequentibus (*τούτων συμπάντων κ. τ. λ.*) manifestum esse credo istud, de numero annorum, in parenthesi dictum esse, neque testimoniis indigere; tum continuari potuisse — *τὸ πλῆθος τούτων συμπάντων* —. Sed illa *ὅμως* — *παρέξομαι*, delenda sunt.

Pag. 660. *ὥστε τῷ γ' ἔργῳ πάλαι ταῦτ' ἐστὶ* —. Correxeram *πολλὰ ταῦτ' ἔσται*, quum vidi Marklandum in eamdem necessariam, ut puto, coniecturam incidisse.

Pag. 661. οὐ μόνον ἵππους ἐκτήσατο λαμπρούς, ἀλλὰ καὶ ἀθλητὰς καὶ ἐνίκησεν Ἰσθμοῖ καὶ Νεμέᾳ. Istud καὶ ante ἐνίκησεν, assumtum ex Laurent., iterum expungendum est, legendumque ἀθληταῖς, videratque iam Reiskius ἀθλητὰς νικᾷν non dici.

Pag. 657. εἰσὶ δέ τινες οἵ προαναλίσκοντες οὐ μόνον τούτου ἕνεκεν, ἀλλ' ἵνα ἄρχειν κ. τ. λ. Ferri non potest οὐ μόνον· cui substituam οὐ μὲν οὖν —.

§ 5.

De Oratione Pro Polystrato.

Dobreus in Adversariis I. p. 243, locum turbatum tentans, »in hac oratione, inquit, non »nimis curiosi esse debemus." Si Lysiae est haec oratio, iure quodam requiremus elegantiam sermonis, perspicuitatem, et in tenui dicendi genere ac simplici loco et ordine expositas res ac demonstrationes. In quorum omnium absentia et defectu pronunciare licebit non esse hanc Lysiae orationem. Facti quidem et criminis expositionem omitti potuisse si δευτερολογία sit, concedo: sed ea ipsa quae dicuntur adeo dissoluta sunt, et turbata, ieiuna praeterea et inepta saepe, ut temere librariorum erroribus potius quam infan-

tiae oratoris tribuantur. Ponam nonnulla exempla § 1. ὧν εἷς ὢν οὗτος τυγχάνει Πολύστρατος· οὗτος γάρ. — § 3. οὗτος δὲ —. Molesta tautologia est § 2. ᾑρέθη μὲν ὑπὸ τῶν φυλετῶν — αἱρεθεὶς ὑπὸ τ. φ. — § 11. καί τοι ἔν γε — καί τοι εἴτις. — ibid. ἀλλὰ γὰρ — ἀλλα μὴν —. — § 14. Quum dixisset quam populariter se gessisset Polystratus καταλογεὺς ὤν, tum subiicit οὗτος δὲ οὔτε ὀμόσαι ἤθελεν οὔτε καταλέγειν. — § 24. ὥςτ' εἰδέναι κατειλεγμένον εἰς τοὺς ἱππέας οἷος ἦν τὴν ψυχὴν — § 25. ὥςτ' εἰδέναι ἅπαντας οἷος ἦν τὴν ψυχὴν ἱππεύων —. Sed haec singula sunt. In universis prorsus desiderari, non dico Lysiacam simplicitatem et venustatem, sed ordinem ac dispositionem, stolidus sit qui non continuo sentiat.

Sed ne hoc quidem negligendum est. Verissime enim pronunciare mihi videtur Taylorus Lys. Vit. p. 150. R.: »orationes videtur exa»rasse in extrema senectute: quarum enim aeta»tem eruere possumus, eae omnes post XXX vi»ratum conficiebantur." Atqui haec pro Polystrato oratio dicta est brevi post Quadringentorum sublatum imperium: itaque iudicat Krueger. ad Clinton. F. II. Ol. XCII. 3. Haud iniuria tamen dubitare quis possit, utrum ante Euclidem orationibus scribendis operam dederit Lysias: ante certe quam huic negotio se committeret, dicendi

scholas (διατριβὰς Dionys.) habuisse, Ciceronis testimonio in Bruto novimus.

Sed cuiuscumque sit haec oratio, non spernenda eius auctoritas est in historia illorum temporum explicanda. Usurpaverunt eam viri docti, in primis Meierus in commentario de Bonis Damn. p. 182. not. 70, et Kruegerus in Cap. VII° commentationum de Thucyd. Hist. part. postr.; non tamen ita ut singula diligentissime explicarent. Polystratus unus fuit e Quadringentis, quorum (sicut dicitur § 1.) alii populi libertati insidiabantur, alii nullo improbo consilio hanc curiam intraverant. Statim offendit ἐπιβουλεύσαντες, absolute dictum, quum sollemne sit ἐπιβ. τῷ πλήθει, aut καταλῦσαι τὸν δῆμον. Sed praeterquam quod in Quadringentis fuerat, diserte § 13 appellatur καταλογεὺς fuisse. Et καταλογεῖς quidem, in illorum temporum historia, a Thucydide non memorantur: nec sunt tamen praetermissi a Grammaticis, sed confusi cum προβούλοις et συγγραφεῦσι. conf. Krueger. Comment. cit. p. 375. not. 58. Atqui συγγραφέων munus satis definite explicat Thucydides VIII. 67 (ξυγγράψαντας γνώμην εἰσενεγκεῖν ἐς τὸν δῆμον, καθ' ὅ τι ἄριστα ἡ πόλις οἰκήσεται), a quo necessario et re et tempore diversi fuerunt καταλογεῖς. Nam probata demum et accepta in concione ea forma oligarchiae, simulque

(quod, quum per se intelligeretur, non de industria memorat historicus) constituto ut de civibus non amplius quinquies mille, si videretur, convocarentur, certi institui potuerunt, qui illos ex universo numero designarent et conscriberent: eosque tributim fuisse creatos, decem, ut puto, conficitur ex § 2. sq. Neque enim cum reliquis, quae memorantur, congruit, ut istud munus Polystrato mandatum putemus post sublatos Quadringentos, quod iisdem verbis utitur Thucydides VIII. 97 (τοὺς τετρακοσίους καταπαύσαντες τοῖς πεντακισχιλίοις ἐψηφίσαντο τὰ πράγματα παραδοῦναι.) Nam ex Euboea rediit demum Polystratus, quum ἤδη μετεπεπτώκει τὰ πράγματα, § 14. Isto autem loco (§ 13) unum alterumque restat explicandum.

Primum Dobreus offendit in numero ἐννακισχιλίων, quos Polystratus καταλέξαι dicitur; nam sic 4000 δημότας fuisse, quod absurdum. Adiicitur sane verbis, supra appositis, ἵνα μηδεὶς αὐτῷ διάφορος εἴη τῶν δημοτῶν· sed non consequitur inde numeri incrementum ex uno Polystrati pago assumtum esse; nam οἱ δημόται appellantur omnes, quoniam ἐκ τῶν δήμων catalogus conficiendus erat, sive potius κατὰ δήμους, ut in aliis negotiis: conf. Demosth. Polycl. p. 1208. init. Igitur Polystratus non de suo tantum pago

sollicitus fuit, sed ex omnibus δημόταις quam maximum numerum conscribere studuit, itaque πλείςους πολίτας ποιεῖν· nam vere hi quinquies mille demum pleno iure civitatis cum suffragio utebantur. Neque tamen existimandum est Polystratum sua auctoritate numerum ipsum augere potuisse; sed plures primum designavisse, e quibus mox (posteaquam sic gratum omnibus fecisset) eximeret qui ὅπλα παρέχεσθαι (Thucyd.) non possent. — Alterum est, quod statim subiicitur οὔτε ὀμόσαι ἤθελεν οὔτε καταλέγειν, quum modo de hoc ipso officio, quo populariter functus esset, commemoraretur. Nec dubito (quamquam pleraque in hac oratione parum apte nectuntur) quin in vitio sit verbum καταλέγειν, ipsumque praecedens ὀμόσαι requirere idem tempus in coniuncto Infinitivo. Restituo εἰσελθεῖν· et utrumque (ὀμ. et εἰσελθ.) dicebatur de iis, qui in istud Quadringentorum consilium cooptati erant. Itaque hinc discimus, quod historici tradere neglexerunt, sed tamen coniectura assequi licebat, Quadringentos iusiurandum praestitisse conservandi huius imperii disciplinaeque civitatis causa, cuius formula in ipsa illa ad Colonum concione lata ac decreta fuisse videtur, de qua exponit Thucyd. VIII. 67. Minus enim credibile est ab omnibus civibus postulatum fuisse tale iusiurandum, quum ne iuris

quidem publici omnes participes futuri essent. Conveniebat hoc magis iis temporibus, quae Quadringentorum imperium exceperunt, eoque pertinere Demophanti psephisma (apud Andocid. Myster. p. 48) bene demonstravit Meierus Bon. Damn. p. 6. Sed minus assentior Kruegero Comment. cit. p. 375. not. 57, similem sanctionem eius, quae illo Demophanti decreto continetur, exstitisse iam ante Quadringentos: nam hi, (ut ex Thucydide intelligitur), nihil aliud metuebant, nisi *παρανόμων γραφὰς*, aut si quis *ἄλλῳ τῳ τρόπῳ βλάψῃ*, quibus tum *μεγάλας ζημίας ἐπέθεσαν*· quae locutiones non certe indicant caedis impunitatem ante fuisse. Iusiurandum autem in causa et sententia Quadringentorum fuisse praestitum, colligi poterit quoque ex ipsa istius psephismatis formula, in qua dicitur, *ὁπόσοι δὲ ὅρκοι ὀμώμονται — λύω καὶ ἀφίημι.*

Quod Eretriam navigasse dicitur, unde vulneratus redierit domum, puto eam esse expeditionem intelligendam, quam describit Thucyd. VIII. 95. Sed animadvertendus is locus est (§ 18), ubi de priore Polystrati damnatione sermo est. Verba haec sunt: *ἐρήμην γὰρ αὐτὸν λαβόντες αὐτοῦ τε καὶ ἡμῶν κατηγοροῦντες εἷλον.* Meierus Bon. Damn. l. c. sic interpretatur, quasi absens damnatus esset. Sed non fuerat Polystratus in eorum nu-

mero qui solum verterant, et Deceleam abierant: contra, sublatis Quadringentis domum ex Eretria redierat: et § 22 dicitur, οὗτος δὲ ὑμῖν δίκην δέδωκεν — εὐθὺς μετὰ τὰ πράγματα, ὅτε ὑμεῖς τε μάλιςα ἐμέμνησθε τῶν γενομένων κ. τ. λ. In Reiskii ad h. l. opinionibus, placet in primis ἔρημον· sed quum ἔρημος αὐτοῦ τε καὶ ἡμῶν neque explicari, nec defendi possit, servata sermonis proprietate, legam λαβόντες ἀπόντων καὶ ἡμῶν —: *quum eum, nobis quoque absentibus* (filiis eius) *desertum deprehendissent, criminando vicerunt.*

Quae de patre suo narrat orator § 28, eum strenue se gessisse, καταδρομῆς γενομένης τῶν φυγάδων, dubito an recte Hoelscherus p. 97. fin. referat ad Quadringentorum incursiones, potiusque intelligendas esse eas puto, de quibus universe agit Thucydides VII. 27. In reliquis tam multa salebrosa sunt, ut desperandum sit de interpretatione aut de probabili correctione, faciliusque quis cuncta de suo refingat et ordinet, quam in praesenti Codd. conditione vestigia verae lectionis deprehendat.

§ 6.

Oratio de Muneribus Acceptis.

Pag. 698. ἐγὼ γὰρ ἐδοκιμάσθην μὲν ἐπὶ Θεοπόμπου ἄρχοντος. Postquam a Böhneckio de Orator. Attic. I. 1. p. 60. sqq. probabiliter demonstratum est illam δοκιμασίαν referendam esse fere ad annum aetatis decimum sextum, conficiendum oratorem natum esse Ol. LXXXVIII. 2: id quod monendum propter Hoelscherum p. 100. Tum iis quae mox dicuntur (ἐπὶ δὲ Γλαυκίππου ἄρχοντος — εἰς Διονύσια) confirmatur id, quod Boeckhius in Comment. de Temporibus Midianae demonstravit, Dionysia tertio cuiusque Olympiadis anno acta esse.

Pag. 700. init. Corrigendum esse Κηφισοδώρῳ, in eo conspirant Clinton. F. H. Ol. XCIV. 3. et Meinekius Hist. Crit. Comic. Gr. p. 267. Fallitur Dobreus. Conf. Bergkius Epist. ad Schiller. Andoc. p. 138. ibid. Quae de classium ϛρατηγοῖς memorantur, accurate cum historiae monumentis conveniunt. Pugna ad Mitylenem (pag. 701) ea est. quam describit Xenoph. Hellen. I, 6, 11. sqq. — Propter ea, quae pag. 701 de se narrat orator suspiceris eumdem hominem esse, cui Isocratis oratio adv. Callimachum scripta est: cf. ib. p. 382. b.

Pag. 703. ἀλλ' οὐκ ἂν δεξαίμην ὑβρισθῆναι οὐδὲ παραςῆναι τοῖς διαδυομένοις τὰς λειτουργίας ἐμοὶ μὲν ἀχάριςα εἶναι τὰ εἰς ὑμᾶς ἀνηλωμένα, ἐκείνους δὲ δοκεῖν ὀρθῶς βεβουλεῦσθαι —. Minus recte Taylorus corrigit ἐκείνοις. Accusativus requiritur tum propter Infinitivum δοκεῖν, tum quod subiecti est.

Pag. 704. Firmissimum vectigal rei publicae esse dicit τὰς οὐσίας τῶν θελόντων λειτουργεῖν. Igitur, si bene consulueritis, οὐδὲν ἧττον ἐπιμελήσεσθε τῶν ἡμετέρων χρημάτων ἢ τῶν ἰδίων τῶν ὑμετέρων αὐτῶν. Intelligenda sunt τὰ ὑμέτερα, ea quae publica essent. Quare quum haec ἴδια dici non possint, transponam sic, χρημάτων ἰδίων, ἢ τῶν ὑμ.

Pag. 709. οὐδεπώποτε λειτουργεῖν ὑπὲρ ὑμῶν δέον, εἰ τοσούτῳ πενεςέρους τοὺς παῖδας καταλείψω. Perperam e Laurent. recepta est interpolatio, ἐμνήσθην post δέον. Quum tamen verbum excidisse videretur, rectius Reiskius excogitavit ἐνεθυμήθην· nisi forte praestet ἐλογισάμην.

Ceterum leviter iudicare mihi videtur Meierus, qui (Lit. Att. p. 253 et 351) hanc orationem in causa ἀπογραφῆς versari putat. Nam quod p. 705 sic loquitur: πολὺ ἂν δικαιότερον ὑμᾶς ὑπὸ τῶν ζητητῶν ἀπογραφῆναι τὰ ἐμὰ ἔχειν ἢ ἐμὲ νυνὶ κινδυνεύειν ὡς τοῦ δημοσίου χρήματα

ἔχοντα, ipsa enunciandi forma (ὡς — ἔχοντα) indicat, per similitudinem tantum ista dici, constatque duo illa crimina, κλέπτειν καὶ δωροδοκεῖν, ideo frequentissime coniungi, quod ex utroque locupletatus quis dicitur damno rei publicae; itaque in hoc δώρων crimine aestimatio fere bonorum publicatione et infamia continebatur (conf. p. 710 ἄτιμοι γενέσθαι καὶ ϛερηθέντες — sic enim legendum pro ἢ ϛερηθ.) De poena tamen huius criminis disputare necesse habuit Meierus Bon. Damn. p. 114. sqq. Et Isocrates quidem (cuius non duplex, sed unus tantum locus est) et Aeschines de iudiciorum δεκασμοῦ loquuntur. In Dinarcho, cuius auctoritatem excitat not. 379, agitur sane de δωροδοκίας, sed in priori loco (Contr. Demosth. p. 44), ubi mortis τίμημα memoratur, complectitur sane δεκασμὸν quoque, in altero (Contr. Aristogit. p. 85) nec mortis poena memoratur, (quamquam in primis decebat fieri si verum esset), et ipsa loquendi forma pecuniae acceptae aestimationem admittit. Rursus idem Contr. Philocl. p. 93, quum mortis poenam memorat, facit non ex legibus, sed ex peculiari de Harpalica pecunia psephismate. Nihil igitur obstat quo minus vera in δωροδοκίᾳ legislatio contineatur lege, quam apponit Demosth. Mid. p. 551. ex qua infamia et bonorum publicatio damnato irrogandae erant.

§ 7.

Oratio in Dardanarios.

Pag. 718. Ingeniose quidem omnium librorum lectionem *ἐπίτηδες* correxit Reiskius, legendo *ἔτι τῆτες·* sed commodius, et nulla litera mutata legendum puto *ἐπὶ τῆςδε* sc. *βουλῆς·* quod opponatur anteced. *ἐπὶ τῆς προτέρας βουλῆς.* Vidit etiam hoc Bekkerus: sed similis loquendi forma restituenda De Invalido p. 756, ut pro *ἥνπερ καὶ πρότερον* legatur *ἥνπερ καὶ αἱ πρότερον*, sc. *βουλαί.*

Pag. 720. *ὥσπερ κατὰ μέδιμνον συνωνούμενοι.* Fallitur Dobreus, qui *ὠνούμενοι* corrigendum putat: neque intellexit ista, *κατὰ μέδ. συνων.* per ridiculum coniungi: et *ὠνεῖσθαι κατὰ μέδ.* primum licebat semper, tum erat potius privatorum.

Pag. 721. *ἢ τὰς ναῦς διεφθάρθαι τὰς ἐν τῷ Πόντῳ, ἢ ὑπὸ Λακεδαιμονίων ἐκπλεούσας συνειλῆφθαι.* Temere Hoelscherus p. 102, ista ad classes bellicas videtur referre: et res ipsa, et singulae locutiones satis indicant naves et classes frumentarias intelligi.

Pag. 722. *ὥς' ἐν τούτοις τοῖς καιροῖς ἐπιβουλεύουσιν ὑμῖν, ἐν οἷσπερ οἱ πολέμιοι.* Et hoc satis languidum; et plane falsum, quod Reiskius de suo edidit, *ἐν οἷσπερ οὐδ' οἱ πολέμιοι·* nec

admitti potest interpretatio Boeckhii, Oec. Civ. Athen. I. p. 90. Corrigam — ὑμῖν ὥσπερ πολέμιοι.

Pag. 724. ὅτι οἱ περὶ τῶν τοιούτων ἀγῶνες κοινότατοι τυγχάνουσιν ὄντες τοῖς ἐν τῇ πόλει. Offendit Dobreus in superlativo. Tamen requiritur ut dicat orator, *haec iudicia maxime pertinere ad cives*, i. e. in his maxime eorum rem agi. Et οἱ ἐν τῇ πόλει nulli alii sunt, nisi qui in civitate vivunt (sicut apud Demosth. Androt. p. 601. 10.) neque accedo vel ad Dobrei, vel ad Courierii interpretationem, quam nullus locus ex iis, qui citantur, confirmat.

Pag. 725. ἡγούμενοι —, ἂν δ' ἀζημίους ἀφῆτε, πολλὴν ἄδειαν αὐτοῖς ἐψηφισμένοι ἔσεσθε ποιεῖν ὅ τι βούλωνται. Non ignoro defendi posse haec: sed concinnior erit sententia si, deleto ἐψηφισμένοι, legetur ἔσεσθαι.

De genere iudicii Schoemannus Comitt. Athen. p. 198, et Meierus Lit. Att. p. 260 et 266 ita sentiunt, fuisse εἰσαγγελίαν. Quare mihi idem videatur, exponam. Primum, delictum eiusmodi erat, quod certa lex vindicabat, adiecta mortis poena: conf. pag. 715. 724. init. et pag. 725: et videntur talium delictorum cognitioni praefuisse Sitophylaces, ita ut vel mulctis coërcere, vel in tribunal causas εἰσάγειν possent: conf. pag.

722. fin. sq. Tamen, quum gravius incommodum illo tempore fortasse sentiret civitas ex dardanariorum improbitate, accusavit eos in senatu actor, et ipse senator: quamquam utitur verbo κατηγόρουν, non εἰσήγγελλον. Sed nihil aliud spectabat actor, nisi ut causa ad legitimam in tribunali disceptationem perduceretur.

De Magistratibus, quorum auctoritate se defendebant isti Dardanarii, concedere non possum Schuberto de Roman. Aedil. p. 115, esse Sitonas intelligendos, quod pag. 717. sq. tres videantur memorari. Primum non credibile est, quum pag. 722 diserte Sitophylaces appellentur, quorum officium esset istorum hominum cupiditatem coërcere, diversos ab his fuisse eos, ad quorum auctoritatem in ea re provocarent. Praeterea Sitonae non videntur annui fuisse magistratus, sed extra ordinem, gravissimis temporibus, creari soliti, si metus esset σιτοδείας· id quod apparet ex ἐπιδόσεσι, quae commemorantur, ut annonae succurreretur. Postremo, ex unico testimonio apud Demosth. pro Coron. p. 310. init. nihil aliud conficere licet, nisi unicum Sitonam creatum esse, qui rei frumentariae (ut nonnumquam apud Romanos) praeesset: neque is, si esset, quidquam dardanarios spectare opus habebat: ipse publice videtur magnum frumenti numerum coëmisse, quod

viliori pretio venderetur plebi. Itaqae maneo in Boeckhii sententia, qui locum illum Lysiae de Sitophylacibus accepit, Oecon. Civ. Athen. I. p. 91. not. 379. Sed ne ternarius quidem numerus tam mordicus servandus est in Lysia; si quidem si locus ita legitur, *καὶ οἱ μὲν δ' οὐδὲν ἔφασαν κ. τ. λ.*, habebimus cum Anyto quinque istos Sitophylaces, qui in urbe erant, secundum correcta Harpocrationis verba in V. Sitonam unicum constitui solitum fuisse, confirmari poterit exemplo Callisthenis, apud Demosth. Leptin. p. 467, qui nullo alio nisi Sitonae munere fungens istam *διοίκησιν* tenere potuit.

§ 8.

Oratio Adversus Pancleonem.

Pag. 729. *εἰπόντος δὲ τούτου κ. τ. λ.* Turbatum nonnihil esse in ordinanda sententia agnoverunt Interpretes; et sane requiritur quaedam transpositio. Sed istud *δικάζοντας* (quamquam non reprehendo Hudtwalckerum, qui, Diaetet. p. 5, hos Diaetetas interpretatur, in illa tribu ius dicentes) propterea offensioni est, quod in reliquis ne vestigium quidem istius Diaetetarum iudicii deprehenditur. Suaserat actori amicus, quum

Pancleo dixisset se esse Deceleensem, *προσκαλέσασθαι πρὸς τὴν φυλήν*· sed Diaetetae nullam mentionem fecerat, neque is indicabatur verbis illis, ut puto. Sed fac *πρὸς τὴν φυλὴν* idem esse, quod *πρὸς τοὺς τῆς φυλῆς διαιτητάς*, nihil tamen erit in sequentibus quod hanc interpretationem confirmet. Nam ipsa illa *πρόσκλησις* eo absolvebatur, ut actor ad tonstrinam accederet, quo Deceleenses ventitare solerent, ibique inquireret num quis Pancleonem Deceleensem nosset: quumque is nemini cognitus esset, contraque constaret eum de aliis quoque rebus causam dixisse apud Polemarchum, tum, inquit, ipse quoque actionem detuli ad Polemarchum. Fieri potest sane, ut voluerit Pancleonem ad illos Diaetetas citare; sed non fecit certe. Quare leni correctione legendum erit *προσκαλεσόμενος αὐτὸν — δικάζοντας, ἐλθὼν κ. τ. λ.*

Pag. 735. *ἐθέλοντος μὲν τοῦ Νικομήδους, ἐθελούσης δὲ τῆς γυναικὸς ἀφιέναι, εἴ τις ἢ εἰς ἐλευθερίαν τοῦτον ἄγοι ἢ φάσκων ἑαυτοῦ δοῦλον εἶναι.* Postrema bene correxit Reiskius, quam correctionem recipiendam esse censeo. Sed *ἀφιέναι* minus aptum esse videtur, praeferamque *ἐφιέναι*, *permittere, concedere.*

Quaerendum etiam de forma iudicii. Nam adversus *παραγραφὴν* habitam esse, quam legimus,

orationem, id quidem constat. Sed nondum mihi persuaserunt viri docti, superata exceptione novum iudicium de re ipsa instituendum fuisse. Docet hoc v. c. Schoemann. Lit. Att. p. 646. conf. p. 730. Ex hac Lysiae oratione non confirmatur ea sententia. Apparet sane non integram esse orationem, sed ἐπίλογον tantum. Quorsum enim initio περὶ τουτουὶ τοῦ πράγματος, nisi id, de quo quaereretur, ante fuisset explicitum? Quapropter non πολλά, sed πλείω μὲν λέγειν κ. τ. λ. scripsisse puto Lysiam: et tum demum pergit ad παραγραφὴν refutandam. Accedit, quod pag. 734 dicit, sibi testibus opus fuisse τῆς τε ἀντιγράψεως ἕνεκα ταυτησὶ (i. e. παραγραφῆς) καὶ αὐτῆς τῆς δίκης· unde conficio utramque controversiam ad unam eamdemque pertinuisse disceptationem. Eodemque pertinet conclusio orationis, in qua orat iudices τά τε δίκαια καὶ ἀληθῆ ψηφίζεσθαι (i. e. εἰσαγώγιμον εἶναι τὴν δίκην) καὶ ἃ ἐγὼ ὑμῶν δέομαι, (i. e. id quod peto hoc iudicio.) Neque magis confirmatur Schoemanni sententia ex Demosthenis Orat. Contr. Zenoth., ex qua locos indicat: contrarium potius iure quis conficiat ex his verbis p. 882. 14; ἐκ δὲ τοῦ αὐτοῦ λόγου τήν τε δίκην οὐκ εἰσαγώγιμον οὖσαν μαθήσεσθε καὶ τὴν ὅλην ἐπιβουλὴν καὶ πονηρίαν τουτουὶ τοῦ ἀνθρώπου ὄψεσθε. Praeterea in omni-

bus, quas superstites habemus, λόγοις παραγραφικοῖς, accurate ipsa quoque primaria quaestio tractatur. Condemnato certe actore, post adversarii παράγραφὴν, ipsa quoque causa ei amissa erat; sicut apparet ex Demosth. Contr. Lacrit. p. 939. fin. ἐπιχειρεῖ πείθειν ὑμᾶς ψηφίσασθαι μὴ εἰσαγώγιμον εἶναι τὴν ἐμπορικὴν δίκην ταυτηνί, δικαζόντων ὑμῶν νυνὶ τὰς ἐμπορικὰς δίκας· ἀλλὰ τί κελεύεις, ὦ Λάκριτε; μὴ ἱκανὸν εἶναι ἡμᾶς ἀποστερεῖσθαι ἃ ἐδανείσαμεν χρήματα ὑμῖν, ἀλλὰ καὶ εἰς τὸ δεσμωτήριον παραδοθῆναι ὑφ' ὑμῶν προσόφλοντας τὰ ἐπιτίμια, ἐὰν μὴ ἐκτίνωμεν. In his τὰ ἐπιτίμια nihil aliud sunt praeter ἐπωβελίαν, (sicut apud Demosth. Contr. Stephan. I. p. 1103. 15. προσόφλων τὴν ἐπωβελίαν), quae mulcta imponebatur ei quoque actori, qui παραγραφὴν adversus suam actionem institutam in iudicio non superaret: conf. Boeckh. Oecon. Civ. Ath. I. p. 389: atqui nullus locus huic poenae erat, nisi in ipso paragraphico iudicio de primaria quaestione quoque disceptaretur ac pronunciaretur. Si, de quo constat, damnatum in paragraphico iudicio actorem oportebat ἐπωβελίαν solvere, inde consequitur ut statuamus eum primaria quoque causa cecidisse. Sed, ἐπωβελίας facta mentione, explicandum quare a Boeckhio dissentiam, quum l. c. p. 390. sq. contendit, non tantum actori,

sed reo quoque, si causa caderet, ἐπωβελίαν imponi potuisse. Diserte hoc quidem iusserat Archini lex, brevi post restitutam libertatem perlata, quo servarentur αἱ συνθῆκαι τοῦ μὴ μνησικακεῖν, definiveratque adversus eum, qui neglectis illis pactionibus quidquam in iudicio repeterent, concedi παραγραφὴν, utque tum prior in iudicio diceret ὁ παραγραφόμενος, tum ὁπότερος ἂν ἡττηθῇ τὴν ἐπωβελίαν ὀφείλειν (Isocrat. Adv. Callimach. init.) Sed nova ea lex erat, postrema duo illa constituens praeter morem; nec nisi in illis causis valebat, quae ex oligarchiae tempore repetebantur, id quod non satis attendisse puto Boeckhium p. 389, ubi huius legis mentionem iniicit. Sed hoc ipsum iudiciorum genus, de quo Archini lex praecipiebat, eiusmodi esse, ut simul de exceptione et de primaria quaestione disceptaretur, quum per se intelligi potest, tum conficere licet ex his verbis Isocratis (p. 372. fin.) ἀποδείξω δὲ Καλλίμαχον οὐ μόνον παρὰ τὰς συνθήκας δικαζόμενον (quod fundamentum erat τῆς παραγραφῆς), ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν ἐγκλημάτων ψευδόμενον.

Sed de iudicio Contra Dionysodorum perperam iudicat Boeckhius, quum apud Demosthenem p. 1284. 4 eius tantum ἐπωβελίας mentio fiat, quam actor ipse, si causa caderet, soluturus reo esset,

ex silentio de altera, quae a reo solvenda esset, non posse concludi hanc non deberi. Nam p. 1288. fin. manifesto sic ratiocinantem reum inducit orator, quasi victus nil praeter eam pecuniam de qua ageretur soluturus esset, certe non plus damni passurus esset, quam si in arbitrio compromissario damnatus esset, in quo nullus locus erat *ἐπωβελίᾳ*. In ipsa quoque illa Isocratis Adv. Callim. oratione p. 373. med. locus est, ex quo haud temere colligere mihi videor contrarium eius quod Boeckhius volebat. Callimachus non persecutus erat testem, cuius fide actionem contra se institutam exceperat adversarius, (huius orationis orator) *εἰδὼς ὅτι, εἰ μὴ μεταλάβοι τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων, τὴν ἐπωβελίαν ὀφλήσει, πείσας δὲ τὴν ἀρχὴν πάλιν τὴν αὐτὴν δίκην ἐγράψατο, ὡς ἐν τοῖς πρυτανείοις μόνον κινδυνεύσων. Ἀπορῶν δ' ὅτι χρησαίμην τοῖς κακοῖς, ἡγησάμην εἶναι κράτιςον ἐξ ἴσου καταςήσαντα ἀμφοτέροις τὸν κίνδυνον εἰσελθεῖν εἰς ὑμᾶς.* Consequitur hinc, secundum communem et perpetuam iudiciorum disciplinam, cum ea actione nullam fuisse *ἐπωβελίαν* coniunctam, itaque, id quod orator iam enunciaverat p. 371, *τὸν συκοφάντην ἐν τριάκοντα δραχμαῖς* (quae ipsa sunt prytaneia) *κινδυνεύειν, ἑαυτὸν δὲ περὶ τῆς οὐσίας ἁπάσης ἀγωνίζεσθαι.* Hoc modo conditio fuisset

inaequalis: itaque maluit uti ea forma iudicii, ex lege Archini, ut, proposita exceptione, actori ἐπωβελίας periculum obiiceret, itaque aequaretur quodammodo certe litigantium conditio (quod est ἐξ ἴσου καθιστάναι τὸν κίνδυνον.) Atqui, si in eo iudicio tam ipse, quam actor, damnatus ἐπωβελίαν solvere debuisset, non iam ἐξ ἴσου, sed, ut antea, inaequali conditione certassent, quoniam alter τὴν οὐσίαν ἅπασαν, alter non nisi triginta drachmas amissurus erat: et longe gravior poena ἐπωβελίας, quamquam intervallo quodam, aequabat tamen periculum actoris cum reo, eoque magis, quod cum illa ἐπωβελίᾳ coniuncta videtur fuisse ἀτιμία· conf. p. 378. a. Non reticebo praeterea in ipsa Archini lege offensioni esse haec verba, ὁπότερος δ' ἂν ἡττηθῇ, quae necessario ad utrumque litigantem pertinere evincunt, quamquam nullum aliud legis propositum erat, nisi ut audacia τοῦ μνησικακεῖν (igitur actor solum) ea poena reprimeretur. Quapropter suspicabar istud ὁπότερος mutandum esse in ὁπόσου, hoc sensu: quantaecumque pecuniae iudicio is (nempe actor) victus esset, eius debere ἐπωβελίαν. Ipsa praeterea analogia meam opinionem confirmat; si quidem ἐπωβελία in his privatis causis assimilatur poenae mille drachmarum, quae actorem in publicis causis sequebatur si causa caderet. Po-

stremo ne Demosthenici quidem loci interpretatio apud Boeckhium p. 392 probanda mihi videtur.

Restant complura in Lysia animadvertenda, quae in aliud tempus differo.

VI.

De emendanda Ciceronis Oratione Pro Coelio.

Criticae in Ciceronis voluminibus emendandis positae qui historiam et vicissitudines brevissime notare velit, sic, opinor, affirmare poterit, a renatis inde literis primum nec diligenter Codices exploratos, nec religiose iisdem obtemperatum fuisse, pleraque autem ex ingenio sic composita editaque, ut minima cum offensione legi posse putarentur: tum successisse hanc opinionem, non tantum plura praesidia undique circumspicienda esse librorum manuscriptorum, sed nihil etiam probandum esse, nisi quod eiusmodi auctoritate niteretur, represso prorsus coniectu-

rae, quae non nisi acumini deberetur, usu: tandem, nostris in primis diebus exstitisse, ut Orellium, Zumptium, Madvigium in primis, aliosque horum exemplo, qui et fontes lectionis accurate indagarent, et auctoritates ponderarent, et coniiciendi prudentiam etiam in manifesto corruptis admitterent. Et hodie quidem ita comparata tota res et causa est, ut intelligentes literarum iudices non magnopere discrepent inter se, si de finibus, quibus critica circumscribi, deque praeceptis quibus regi debeat, quaeritur. Illud ambigi potest, utrum totum hoc negotium non dico in disciplinae formam, sed ita ad artis formulam certasque leges revocari possit, ut hae non tantum inventi diiudicandi, sed veri quoque inveniendi copiam et facultatem praestent. Meam sententiam breviter exposui in Prolegomenis ad libros De Legibus; quam hac opportunitate paulo diligentius explicabo, ut occurram viris doctis, quibus ea, quae sequor ipse, minus probari intellexi.

Emendandi interpretandique scriptoris duplicis generis praesidia sunt: alterum positum est in libris manu exaratis usque ad seculum XV, alterum totum continetur cuiusque ingenio ac diligentia. Horum utrumque qui afferet, poterit profecto is praeclare rem agere, ita tamen, faci-

lius ut careat libris, quam bonis domesticis ingenii et diligentiae, quorum in altero quoque illo genere usurpando tractandoque longe gravissimae partes sunt. Video autem esse, qui totam illam causam certa ratione, tamquam artis, regi posse putant, et librorum manuscriptorum aetatibus, stirpibus ac familiis distinguendis, harumque agnationibus et cognationibus indagandis sic absolvi munus difficillimum, ut sic demum quis ad verum inveniendum pervenire possit. Explicuit hanc sententiam, praeter alios, luculentissime Madvigius, quum in praestanti illa Praefatione ad libros De Finibus p. XLI. sqq., tum ante in Disputatione de emendandis orationibus Pro Sestio et In Vatinium, ex qua operae pretium est hunc locum (Opusc. Acad. I. p. 412) apponere: »Est autem »tota haec res ita comparata, ut explicata ea, »de qua dixi, codicum cognatione magna pars »causae quasi tabulis consignatis et rationibus, si »non mathematicis, at historicis peragi queat, »sublatisque erroribus inanibusque suspicionibus »certior ad veritatem inveniendam cursus teneri." Et profecto stolidus sit oportet, qui nec librorum auctoritates persequatur, nec easdem ponderet singulorum aetate et conditione: hoc dico, temere ex illa collatione tot discrepantium inter se librorum cogitando aut computando fingi unum

quemdam archetypum, cuius scriptura constituta (ut ait Madvigius) aut verum teneri, aut id, a quo omnis veri investigatio proficisci debeat. Primum ratio obstat, quo minus duorum triumve codicum antiquissimorum, si praesertim ita multis locis inter se discrepent ut singuli totidem familiarum principes habeantur, communem eundemque fontem fuisse credamus: quod qui sic defendat, ut dicat aberrationes librariorum esse, eumdem librum suo cuiusque more describentium, non ille acutus, sed pertinax mihi videbitur. Magna cum voluptate relegi illam Madvigii de Sestiamae codicibus disputationem, plenam illam laboris, diligentiae, acuminis: sed tamen ea mihi afferre visus est, quibus opinio de uno archetypo, unde tres familiae fluxissent, non tantum non demonstraretur, sed fere everteretur. Primum ipse confitetur de Paris. et Bern. I, talem in nonnullis locis scripturae esse diversitatem, ut perspicuum sit Bern. non esse ex Parisiensi ductum, tum in Parisiensi pauca quaedam singularis interpolationis, ad Bernensem non pertinentis, manifesta vestigia deprehendi (p. 419). Iam si alterutrum verum esse potest, vel utrumque librum ex eodem archetypo fluxisse, sed ita ut diversae in utroque tum corruptelae ortae sint, tum interpolationes additae, vel e diversis eos fontibus fluxisse; ap-

paret certe cupidius defendi prius illud, quoniam alterum haud minus probabiliter sic explicari potest, interpositos fuisse ut dicamus alios vetustiores libros, nunc deperditos, qui ipsi paullatim sive librariorum stupore, sive eruditorum emendandi curiositate, ista vitia contraxerint, quae in multo antiquiore archetypo non fuerint. Operae pretium est percurrere utriusque libri discrepantem scripturam in Sextianae primis sex capitibus, quo confirmetur id, quod suspicor. Statim § 2. solus Paris. omittit *quia*, et *eorum*. § 3. Bern. *quaerellam eloquentiae* et *dolores*. § 4. Paris. *namque*, Bern. *namqui*. Paris. (*me*) *inflammat*. § 6. Paris. *his gravissimis*. Bern. *gravissimae* om. *his*. Paris. (*ut*) *utrique*. Bern. *utrique eorum ut*. Bern. *albino ceterum nomen*. Bern. *benivolentiae*. § 7. Bern. *L. Scipionis*. Paris. (*et*) *omnibus*. *ad aliquam*. § 8. Paris. *nonnullus*. Bern. *periculo societatis*. § 9. Bern. (*et inde*) *C. me uulcanum. non capuam solum*. Paris. *periculumque*. § 10. Paris. *inimicis vestris*. Bern. omitt. pronomen. § 11. Paris. *atque ne*. § 12. Bern. *R.* (*publ.*) *detendente*. Paris. (*quum*) *maiestatem suam et dignitatem*. Bern. *quum maiestatem suam dignitatem*. Paris. *exercitu suo*. Bern. om. pronom. Paris. *hic ergo. quos stimulos* (errore enim apud Madvigium editum suspi-

cor.) *fortassis studioso.* Paris. *belli casumque.* Bern. *bellicosumque. breve dii cassi m. petrei* (alia manu correctum in marg.) Paris. *nanctus.* Bern. *stabuli.* § 13. Paris. *apstulit ad tribunatum.* Bern. *ad tribunatum abstulit.* Paris. *propriora.* Paris. *quia ipse.* § 14. Paris. *dignam (esset).* Bern. *digna (esset).* Paris. *tribunatus (quidem). at certe (iudices). hu potius tempori.* Bern. *sed ut quam moderate.* § 15. Paris. *necesse (est).* In his, pauca si minuta excipis, quae librariorum imperitiae tribui possunt, vix quidquam reperias quod merito quis ex uno eodemque archetypo fluxisse defendat. At complura alia sunt, in quibus egregrie conspirant. Fateor: sed totidem fere alia monstrari possunt in reliquis, tertiae etiam, quae dicitur, familiae codicibus, et recentioribus, et multum depravatis, quae confirmant optimas Parisiensis lectiones, neque tamen ümquam quis contendit hos ex eodem archetypo manasse. Et, ne discedamus ab illa de Sextiana e codicibus emendanda disputatione, primum ipse Madvigius agnoscit (p. 419—421.) Parisiensem, quamquam (exceptis fragmentis Vaticanis) omnium antiquissimum et integerrimum, paucis quibusdam locis manifesto interpolatum esse: quas interpolationes si Bernensis testimonio coarguere licet, quo modo defendi potest ex eo-

dem archetypo utrumque ortum esse? De tertiae familiae codicibus demonstrat ipse (p. 422. ubi tamen errore, credo, memoratur Erfurtensis, in quo modo dixerat Sextianam non esse), propriam eorum esse originem. Tum exemplum excitat verissimae lectionis in illis codicibus, obliteratae scilicet in praestantioribus, Paris. et Bern., sed confirmatae Cod. Vaticani auctoritate. Pertinent eodem, quae disputantur de codicibus Sextianae lacunosis, quos tum (p. 430) ostendit non esse omnes ex uno transscriptos, tum aliquot locis solos vel certa vestigia habere verae lectionis, vel ipsam eam, quam Paris. habeat, tum subinde carere interpolatione, qua Paris. laboret. Quumque nonnullis locis veras lectiones ex his solis codicibus pendere ostendit, mavult has coniecturae tribuere, sed facillimae et certissimae, quam agnoscere ex alio istos archetypo, quam principes illos primae et secundae familiae ortos esse posse; scilicet ut tueretur istud suum de uno et communi omnium fonte placitum, (conf. p. 434. fin. sq.)

His de causis sic statuendum mihi videtur, ipsam illam, ne diligentissimam quidem, multorum ac diversissimorum codicum collationem et contentionem, si pauca fortasse excipias, quae arguere possint corruptelae progresssum (vid. p. 418. not. 2.), per se aut mera computatione ducere

posse ad unius cuiusdam archetypi conditionem constituendam, quae sola vel verum contineret, vel veri inveniendi elementa, exclusis aliis, indicaret. Etenim si certum quid ista collatio allatura esset, unam oporteret valere auctoritatem eorum librorum, qui vel propter aetatem, vel propter reliquam conditionem optimi haberi et solent et debent, eaque exspectaretur demonstratio, reliquos libros ita perpetuo discedere ab illis, ut nihil afferrent praeter corruptelas, aut omissiones, aut interpolationes, quibus occurreretur iis erroribus, qui principes illos deformarent. Quod si ita esset, necessario confiteremur primum omnes ex eodem fonte fluxisse, sed alios aliis magis depravatos, descriptione multiplicata; secundo loco, in omnium consensu manifesto teneremus archetypi formam, et in dissensu negligeremus inquinatiores libros. Sed (ut in praesenti de Sextianae emendandae subsidiis disputatione maneamus) tantum abest ut soli Paris. et Bern. I. reliquis perpetuo opponi possint ad archetypi formam definiendam, ut compluribus locis vel interpolati vel corrupti esse deprehendantur, in quibus alii libri, quamquam in reliquis negligentius habiti, veram lectionem exhibent. Ipsa adeo Vaticana fragmenta, quamquam pauca quaedam verissima suppeditant, quae in reliquis omnibus vitiata sunt,

non immunia ab erroribus sunt: quapropter verissime Madvigius (p. 414) »tum ratio, inquit, »non auctoritas exquirenda erit." Rursus (p. 419) explicat, Parisiensem »paucis quibusdam locis ma»nifesto interpolatum esse, pro corrupta arche»typi scriptura substituta coniectura audaci." Et Parisiensis quidem interpolationes tum Bernensis testimonio, tum tertiae familiae codicum coargui posse, recte sane fatetur Madvigius p. 421: sed permultum abest ut ita obtineatur id quod vult, necessario requiri explicationem quo modo omnes illi libri inter se cognati sint, et in quas diversas familias distinguendi.

Iterum dico, tam mihi necessariam videri diligentissimam omnium subsidiorum explorationem et collationem, ut inde qui non proficiscatur ingenii fortasse felicissimi specimina proditurus sit, sed certe temere agat. Quum autem duplex locornm genus sit, de quo criticum sollicitum esse oporteat, vel eorum, in quibus nulla varietas lectionis proditur, vel, quae in aliis libris aliter prostant; ut prius de postremo genere dicam, quid me adiuvat in Coeliana 2, 3 ista cognatio et familiarum distributio ad veram lectionem *nobiscumque* stabiliendam (quae praeter Paris. Bern. I. Erfurt. et C. Steph., exstat etiam in duobus recentissimis libris Leid., sec. XIV et XV)?

Sola vincit ratio. Pariter sentiendum de eo, quod ibid. 7, 16, tum *cupidus*, tum alia additamenta, praeeuntibus Lambino et Ernesto, damnantur, quum omnes libros invasissent. In corruptissimo loco, 10, 24, nihil celebrata illa familiarum distributio hucusque efficere potuit, nec facile efficiat. Neque auctoritatis pondus persuadet ut 18, 43, pro *necesse est*, quod per se rectissimum est, legatur *libet* (ex *liquet* meliorum Codd.), sed ratio hoc ingenii inventum una commendat. Quid mihi videatur de loco qui est 19, 45, post dicam. Rursus, 19, 46, *iudices* omittitur etiam in quatuor Leid., i. e. recentissimis: sed, si vel optimi tenerent, non credo minus eiecturum fuisse Madvigium spreto auctoritatis discrimine, sed rectae rationi obtemperantem. Quem dein tractat locum, ibid. (*quae res in hoc genere* cet.), in eo primum nihil nisi hoc attulit librorum collatio, *discendi*, aut *dicendi*, omitti oportere: sed neque *qua re* esse probandum, neque necessariam esse eam, quam excogitavit Madvigius, coniecturam ex collatione subsidiorum apparet: multoque verisimilius est, quod in aliis libris est *confitendi* (ci), et in Leid. *confiendi*, propius aliquanto ad verum accedere, quam Paris. *efiendi*. In reliquis locis corrigendis, utilem Madvigio fuisse Parisiensis collationem (in Taur. palimps.

adeo interpolationem indicat, 22, 54), non nego, sed verum suppeditavit ratio, non illa familiarum distinctio: quumque 28, 67, pro *sed si*, quatuor quoque Leidenses exhibeant *sed*, agnosco veram lectionem idonea niti auctoritate, cognatio autem codicum quid afferat non video. Tum 30, 71 ipse Madvigius Parisiensis errorem vere correctum in aliis codd. putat.

Poteramus, si opus esset, multo plura huius generis percurrere, quibus demonstraremus requiri sane omnium codicum inter se collationem et contentionem, sed nullam artis regulam firmari ex familiarum distributione: sed operae pretium est ipsam illam archetypi appellationem et reverentiam paullo diligentius excutere. »Constituta »codicis archetypi scriptura (inquit Madvigius »Praefat. ad Cic. Fin. p. XLI) aut verum tene»batur, aut, si cum hac auctoritate ratio pugna»bat, id, a quo omnis veri investigatio proficisci »debebat. Quidquid autem apparebat in codice »archetypo non fuisse, id aut mendi loco ha»bendum esse, perspicuum erat, aut coniecturae »postea temptatae, quae poterat interdum esse »consideratione digna." In hac demonstratione sumitur id, quod concedi nullo modo nec potest, nec necesse est; unum tantum fuisse codicem, unde omnes, qui hodie superstites sint, fluxerint.

Optimi et vetustissimi libri (sicut Regius Tusculanarum, et Parisiensis Orationum) sunt seculi noni. Quid igitur? credibilene est ante hoc seculum unum tantum superfuisse codicem, aut unius codicis complura exempla prorsus consonantia, e quibus necesse esset reliquos describi? et, si fuisset, tam prope a vero abfuisse, ut, eius scriptura reperta, vix errare nobis liceret? Praesto sunt Vaticana et Taurinensia fragmenta, quae demonstrant duobus minimum seculis ante illum, qui fingitur, archetypum exstitisse codices et ipsos variis modis tum corruptos, tum interpolatos, quorum propagines et ipsas discrepantes inter se ante istius archetypi aetatem exstinctas fuisse, quis credat? In archetypo Sextianae 3, 8 non erant illa verba *P. Sextius cum esset cum collega meo senserit*, neque cuiusquam ratio umquam offendit quum abessent, neque nunc quisquam mendi loco habet.

Uberius idem praeceptum persequitur Madvigius in illa Praefatione p. XXI. sqq. Quum autem sentiret ipse, fieri non posse ut omnes illi codices ex eodem orti essent libro, primum hoc admittit, a duobus ex illo primo descriptis diversam et duplicem stirpem ortam esse. Sed ne hoc quidem comminisci necesse erat. Si enim conceditur duos illos deperditos, quamvis ex eodem

fonte derivatos, discrepare inter se potuisse, quidni principes illi, quibus nunc utimur, statim inde describi potuerunt? Agnoscit ipse Madvigius p. XXV dubitari posse an melioris familiae codices per unum codicem ex archetypo orti sint, an per plures. Tum, ne ista severa in duas familias distributione teneretur, inter has paucos codices interpositos esse ostendit p. XXIV. Tot machinis adhibitis, pace viri eximii dicam, enervatur potius quam confirmatur istud de archetypo sive placitum sive inventum. Et tamen contendit (p. XXII) »magnam vim habere totum hoc (fami»liarum) discrimen ad omnem testimoniorum de »singulis locis aestimationem."

Quod si certa nota deteriores codices ita a melioribus distingueret, ut nullo modo confundere cunctos liceret, agnosceretur que manifesto diversus utrorumque fons et origo, esset profecto magni momenti hanc notam tenere, ita ut alteri plane contemnendi, alteri soli sequendi essent. Nunc unum tantum originis discrimen est certum, codicum integrorum et mutilatorum (ut in libris De Oratore), aut contractorum (ut in Sextiana): et tamen hoc ipsum discrimen magis externam formam, quam internam dignitatem attingit; siquidem libri illi, qui aut casu lacunas habent, aut consilio complura omittunt, necessario tamen ipsi

quoque ex integro fluxerunt. Quo nomine igitur reliquos libros distinguemus a se invicem? Non profecto genere, sed gradu tantum, sive aetatis, sive diligentiae, sive eorum quae huic contraria sunt, corruptelae, festinationis, levitatis et interpolationis, quibus vitiis plane immunem codicem contendo esse nullum. Sed, quamquam, una aetatis nota excepta, reliquorum omnium aestimatio ex maiore parte capienda est, constat tamen in singulis quibusdam eorum librorum, qui meliores habentur, vitia ex deterioribus esse emendanda, id quod non evertitur nonnullorum Editorum abusu, qui saepe imperite in apicibus deterrimorum codicum iactandis luserunt (ut ait Madvigius Praefat. l. p. XXII). Quapropter non equidem spernendam, multoque minus reprehendendam esse existimo acutam illam et operosam diligentiam, quae codicum cognationem inter se venatur; hoc dico, totum illud institutum, etiamsi cumulatissime perfectum esset, nihil aut perparum nos sponte et per se adiuturum esse.

Quid igitur nobis in codicibus explorandis propositum esse debet, quaeque ratio iudicandi sequenda est? Primum eius archetypi, qualem Madvigius fingit, cogitatio prorsus inutilis est. Si enim aut optimorum, aut omnium librorum consensu et auctoritate verum ipsum tenere nobis vi-

demur, quid opus est comminisci aliquem librum, qui inter seculum nonum, verbi causa, et ipsam Ciceronis aetatem interfuerit? Rursus, si diligentissima collatione non nisi id tenemus, quod manifesto corruptum esse videatur, multo simplicius est statim de emendatione sollicitum esse, quam excogitare prius antiquiorem mendi formam, unde adscendamus ad verum ipsum, quoniam hoc non minus coniecturae sive audaciae sive acumini debebitur, quam illud. Qualemcumque igitur archetypi conditionem somniemus, sive ea erit integra, sive corrupta, semper inutilis habenda erit. Restat, ut singulorum codicum primum universe auctoritatem et fidem ponderemus, tum ut caveamus a falsa opinione, quod universe valeat iudicium de toto codice, necessario ferendum etiam esse de singulis locis et verbis, sine qua tamen opinione inanis est illa artificiosa codicum distributio in ordines et stirpes, quasi tributim, ut in comitiis, non a singulis suffragia ferrentur. Et profecto si res ulla est, quae artis non dico praecepta, sed conditionem et leges respuat, haec est investigatio et iudicium verae lectionis ex multorum librorum collatione constituendum; siquidem nulla facile regula excogitari poterit, quam non toties violare quam sequi necesse sit. Sed totum hoc permittendum ingenio est, adhibita

diligentia, qnibus coniecturam niti oportet. Et diligentiam quum dico, intelligo paratum nsum totius sermonis, tum eius moris qui in quoque scriptore dominetur, vel verborum, vel sententiarum, omnino eorum quibus tamquam in vestigiis insistat et totius cniusdam orationis argumentum et ingenium, et singulorum locorum. Huic fundamento suum imponet opus ingenium, qnam criticam virtntem potius, qnam artem appellare licebit.

Nec poenitet me eius sententiae, quam explicui in Prolegomenis ad libros De Legibus, eam artem (si tamen ars habenda est) eamdem interpretandi esse qnum dicerem; neque hoc satis intellexit vir doctus ac diligens, qui nnper hanc sententiam impugnavit. Nulla, inquam, coniectura est, quae non interpretatione nitatur, tum inanis omnis interpretatio est (in hac veterum literarum, quae unice libris manuscriptis magis minusve corruptis continentur, conditione), nisi quae nitatur critica facnltate. Legebatur in omnibus libris, antequam Vaticana fragmenta cognita essent, Sext. 13, 30 *socii Latini:* quod nulla ingenii felicitate, sed sana verbornm interpretatione nitens correxit Madvigius: eamdemque interpretationem usurpari in coercenda alterius coniectura, in Ernesto demonstravit idem ingeniosissimus interpres

ad Verr. V, 24, 60. — At pertinet istud ad historiam, et ad res quas traditione tenemus, quarum propria est interpretatio, non item ad innumerabiles locos, in quibus oratio tantum eiusque forma spectanda est. — Itane? Nihilne igitur pertinet ad scriptoris intelligentiam tenere quem habitum induere soleat enunciatis, quidque ad orationis vim et proprietatem pertineat? aut minus erit hoc interpretari, si ostendas quae istarum rerum rationes servandae sint? Neque enim spero fore, qui talia sentiri oportere contendant, non intelligi posse. Igitur ex hac interpretatione profecta est egregia Madvigii correctio in Sext. 18, 40 (Opusc. I. p. 414.), neque aliud fundamentum est felicissimae coniecturae, qua restituit locum inquinatissimum Pro Caecin. § 76 (Praefat. Fin. p. XLIX). Quapropter sive delectum instituimus e variis lectionibus, sive corruptelae emendationem adhibemus, sive aliorum coniecturam refutamus, sive in vulnere indicando acquiescimus, semper proficiscimur, in ipsa quoque cuiusque codicis auctoritate ponderanda, ab ea quae vere interpretatio nominatur.

Non disputo haec ut defendam quaecumque aliquando de singulis locis Tullianis iudicavi; in quibus complura esse quae formula non satis prudenti aut religiosa regantur et ipse postea sensi,

et gratus accipere soleo virorum doctorum dissensiones. Etenim tam facile est huius criticae facultatis supremam quamdam formam animo concipere, verbis quoque enunciare, quam arduum subinde imitari eamdem ubi ad rem ventum sit: quo fit ut non facile quis reperiatur, quamvis ingeniosus ac severus, quin aliquando suum ipse iudicium postea retractaverit. Quapropter equidem haud mirer si mihi cum Madvigio, intelligentissimo harum rerum existimatore, conveniret de criticae regendae praeceptis, ita ut verbis magis quam re dissentire videremur; et tamen fieri potest ut in singulis multis iure ab eo reprehendar, quorum tamen magnam partem non confidenter pronunciaverim, sed ut in desperata re tentaverim. Insignem erga me praestantissimi viri humanitatem in Praefatione ad volumen alterum Opusculorum Academicorum laetus agnovi, neque tamen discedo ab ea sententia, quam perpetuo probavi, correctionis necessitatem non unice ex librorum manuscriptorum collatione demonstrari oportere, sed interdum, in omnium constanti consensu, ab ingenio, adhibita diligentia, i. e. prudenti interpretatione; id quod putidus sim, si exemplis Madvigianis probarem. Quod autem »vera firma ac certa nota comprehendi" oportere significat, id si fieri posset, praeclare nobiscum

agi existimarem; probabili disputatione niti oportere quaecumque affirmemus, nemo negabit. Postremo de »emendationis exquisitione intra certos »fines codicum vestigiis terminatos cohibenda," satis respondi supra. Non prorsus inutilem esse iudico huiusmodi de horum studiorum praeceptis disceptationem, attamen multo efficaciora esse sentio exempla, quam doctrinam; aut potius ipsa cuiusque loci tractatio, docta semper et ingeniosa, quam in Madvigii voluminibus offendo, mihi pro doctrina est, qua identidem confirmatus et tamquam subactus perficere conor quae prius non diligenter satis administrata fuerint.

—

De Coeliana utiles nonnullas observationes, ante hos quinque annos, ediderat Vollenhovius, iuvenis ornatissimus, addideratque diligentem collationem quatuor codicum Leidensium. Cuius tunc rogatu paucas quasdam meas emendationes, subito natas, simul ut ederet concesseram, sed ea lege, ut eas postea retractarem severe. Quod promissum nunc exsolvam, non mediocriter, sicut intelligetur, adiutus illa Leidensium librorum auctoritate, quamquam recentium, sed multis partibus cum optimis conspirantium.

I, 1. Huius introitus nullum aliud consilium est, nisi ut ostendatur totam accusationem, qua Coelius peteretur, non vero crimine, sed opibus meretriciis niti. Hinc subiicitur § 2, *nec descensurum quemquam — niteretur.* Sed quid praemitti oportebat *vos laboriosos existimet — liceat esse?* Iudicum certe labor aut molestia nulla necessitudine attingit ipsius iudicii turpitudinem. Videbor, certo scio, nonnullis licentius hariolari; et tamen non reticebo, ista (*vos labor. — liceat esse*) mihi videri commodius collocari post verba *unum hoc iudicium exerceatur.*

Ibid. 3. Sicut innumerabilibus locis asyndeton vel probandum, vel repugnante codd. auctoritate restituendum est, ita alienum est ab hoc loco: *quae accusatores deformandi huius causa, detrahendae spoliandaeque dignitatis gratia dixerunt.* Non est ea cumulatio, sed explicatio, quae requirit *et detrahendae.* Diversum v. c. est in Bruto § 96 *homo per se cognitus sine ulla commendatione maiorum.*

II, 5. *Nemini umquam praesenti Puteolani maiores honores habuerunt, quam absenti M. Coelio.* In his *Puteolani* ab Aldi coniectura est, docte refutata a Garatonio. In codd. aut *praetoriani* est, ita ut non nisi prior huius vo-

cab. pars sit a prima manu: tum in Erf. et Ox. χ *praesenti* omittitur. Hinc credibile est municipum appellationem in eo codice, unde reliqui fluxerunt, corruptam latuisse in *praesenti*, itaque reliquas interpolationes ortas esse, primum ut adderetur qualiscumque appellatio, tum molesta illa *quam absenti M. Coelio*, quorum *absenti* in optimis quibusque abest, *quam* etiam in iisdem, qui *praesenti* omittunt. His igitur abiectis, municipes revocandi sunt ex corrupto *praesenti*, aut *praet.*

III, 6. *Sed aliud est maledicere, aliud accusare. Accusatio crimen desiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teste confirmet.* Nihil in Codd. variatur, nisi quod unus Leidensium *testem* habet. Putavi olim *crimen* inutile esse propter *accusationis* vocabulum. Sed tamen hoc dicere Tullium constat, qui accuset crimen afferre debere. In reliquis turbatum esse suspicor. Crimen enim ipsum definiendum est, non res; multoque minus accusatio crimen requirit, *rem ut definiat.* Quid porro est *hominem ut notet?* quasi non semper sive crimine, sive maledicto, homo notetur. Quae Aldi Nepotis coniectura est, *nomine ut notet*, pariter ut sequentia evertit eam loquendi formam, quae una probari poterat. Neque enim, si recte

dicitur, in accusatione, aut in accusatore, hoc requiritur, ut crimen nomine notet, idcirco ferri potest ut dicatur, *accusatio crimen requirit nomine ut notet.* Quatuor mihi videntur indicari a Cicerone, quae in *accusatione* requirantur, *crimen, nomen, argumentum, testis: rei* vocabulum alienissimum est. Crimen requiritur, ut scelus quoddam commissum esse definiatur, *nomen*, ut qua lege teneatur constet, utrum sit *proprium crimen quaestionis*, sicut dicitur Cap. 30, 72.: reliqua sunt probationis, sed quae a certo ac definito crimine abesse non possunt. Quare sic corrigendum esse suspicor: *accusatio crimen desiderat ut definiat, nomen, ut notet, argumentum, ut probet, testem, ut confirmet.*

Ibid. 8. *Primum qualis et, talem esse existimes.* In codd. aliis *esse*, aliis *te esse* omittuntur: tum in nonnullis est *existiment*, unus etiam Leid., ex varia lectione, annotatum habet *al. omnes existiment.* Vulgatum quidem defendi non posse puto ex collato Plinii loco apud Abramium. Potius conferendum est praeceptum Orat. II, 41, 176. init. et Brut. 38, 142. Sequitur: *quis est — qui isti aetati atque etiam dignitati non possit quam velit petulanter, etiam si sine ulla suspicione, at nón sine argumento, maledicere?* Requiri puto ut hoc

dicatur: facile esse adolescentiae maledicere, vel petulanter, etiamsi nullum argumentum maledicti proferri possis, ideo, quod suspicionem excitare nullius negotii est. Nam vel sine ulla suspicione maledicere, stultissimum est. Propterea part. negans transponenda videtur: *etiamsi non sine ulla suspicione, at sine argumento maledicere.* Sensisse videtur librarius Ox. C, in quo pro *non* est *tamen.*

IV, 10. *Ad quem si accessit, aut si a me discessit umquam, (quamquam multi boni adolescentes illi homini nequam atque improbo studuerunt); tum existimetur Coelius Catilinae nimium familiaris fuisse.* Non sine causa Vollenhovius, doctus iuvenis, quum hunc locum tractaret, repudiavit Madvigii corrigendi et interpretandi rationem secundum codices, ut *quamquam* initium esset apodosis, et *tum* mutaretur in *tamen.* Quo modo omnino ista ratio defendi possit, non intelligo, siquidem *tamen* concedendi particula est, neque tamen concedere vult eum *nimium familiarem fuisse.* Quare melius mihi videtur ut *tum* (quod servat unus Leidensium, commemorata varia lectione *tamen*) mutetur in *num*, et initium faciat apodosis.

V, 11. *Qua in aetate, nisi qui se ipse sua gravitate et castimonia defenderat, quoquo*

modo a suis custoditus esset, tamen infamiam veram effugere non poterat. In his primum, bonorum librorum auctoritate, corrigendum *defenderet*, postulante quoque syntaxi, et quoniam, quae praedicantur (*effugere non poterat*), de ipsa illius aetatis conditione dicuntur, non de sequente aetate virili. Tum nollem Orellius tam acerbe castigasset Ernestum, ad verba *infamiam veram* sic annotantem: »quomodo *veram* infa»miam? Vereor ne vitiosum sit." Sunt haec, inquit Orellius, ex eo genere, qualia haud raro vir praestantissimus paulo inconsideratius iecit, quaeque nobis nemo iam condonaret. Mihi praeclara ista dubitatio Ernesti videtur. Fateor constantem esse istam codd. lectionem, fuisse eamdem, si necesse est, etiam Archetypi: nihilominus defendi non posse puto salvo sermonis ingenio. Nam, etiam si concedo Garatonio per se dici posse *infamiam veram*, nullam tamen aliam intelligemus nisi eam, quam quis demonstrat esse veram; sicuti pro Cluent. 3, 7 *falsam infamiam* Cluentii appellat, quam nunc contendit ac demonstrat falsam esse. Hoc autem loco *infamiam* intelligimus malevolos hominum sermones; cuius contrarium est, *de eius fama nemo loquebatur*, ut statim post dicitur. Neque hoc cogitavit orator, utrum illa infamia vera an falsa esset: ipsam per

se in malis numerat, quae, quum multos attingeret, Coelium tamen integrum reliquisset, ut initio Capitis dicit, *versatus in foro sine suspicione, sine infamia*, et Cap. 10, 23. fin. *istius facti non modo suspicione, sed ne infamia quidem est adspersus;* et compluribus aliis locis ita ponitur tum *suspicio*, tum *infamia*, ut nulla de re minus quam de certa aut vera cogitandum sit. Suspicor Ciceronem reliquisse *infamiae ventum*, aut aliud istiusmodi substantivum.

Ibid. 12. Commemorantur nonnulla, quae Coelio obiiciantur propter illam Catilinae familiaritatem, quibus singulis excusatio ab oratore subiicitur. *Studuit Catilinae, quum iam aliquot annos esset in foro Coelius: — et multi hoc idem ex omni ordine, atque ex omni aetate fecerunt. — Utebatur hominibus improbis multis: — et quidem optimis se viris deditum esse simulabat. — Erant apud illum illecebrae libidinum multae: erant etiam industriae quidam stimuli ac laboris. Flagrabant vitia libidinis apud illum: vigebant etiam studia rei militaris.* Sed offendor illis *flagrabant — apud illum.* Primum, iteratum illud *apud illum* mirifice languet et ineptum est. Dein, minus dici posse puto *vitia flagrare*, quam *flagrare aliquem vitiis* v. c. scelere, libidine. Tum, *vitia libidinis*

per se non magis dicitur Latine, quam *vitia avaritiae*, aut *bona liberalitatis:* dicunturque vitia potius *animi* esse, aut *aetatis*, (ut infra Cap. 11, 25.) quam peculiaris cuiusdam affectus. Postremo, si *vitia libidinis* sunt pro ipsis *libidinibus*, otiose iteratur id, quod modo dictum erat, *erant apud illum — multae.* Scio horum pleraque, quia negando continentur, demonstrari a me non posse: sed exspecto, qui contrarium defendat. Mihi tota illa particula abiicienda videtur, quae non nisi ineptam interpretationem prioris continet. Sic aptius continuabuntur: — *erant etiam industriae quidam stimuli ac laboris, vigebant etiam studia rei militaris.* Neque enim idem de utrisque affirmat, sed aliquanto fortius (*vigebant*) de studiis rei militaris, quae, utpote alterum genus earum rerum, in quibus boni adolescentes versari solerent (refertur enim *industria ac labor* ad studia forensia iudiciorum), necessario cum altero coniungenda erant.

VII, 15. *non modo si socius coniurationis, sed nisi inimicissimus istius sceleris fuisset, numquam coniurationis accusatione adolescentiam suam potissimum commendare voluisset.* Nulla, puto, demonstratione opus est, quare videatur prius *coniurationis* interpolatum esse.

Ibid. 16. *neque eius facti in altero suspi-*

cionem quaereret, cuius ipse sibi perpetuam licentiam optaret. Vix probari potest, ut *suspicionem quaerere ambitus* sit pro *persequi iudicio ambitus suspicionem;* cuiusmodi quid tamen h. l. requiritur. Melius Latine dici puto *facti in altero suspicionem quereretur.* Conf. Orat. II, 48, 198.

Ibid. 18. *Semigrarit.* Nulla ratio est huius Coniunctivi. Corr. *semigravit:* ut Ox. C. — Tum, in fine huius Capitis, auctoritate Oxon. ψ. et unius Leid., restituendum *non magnam domum.*

VIII, 20. *Graves erunt homines, qui hoc iurati dicere audebunt: quum sit his confitendum,* cet. Unus Leid. *eis* pro *his:* recte: neque enim, postquam indicati iam sunt, ullo pronomine nisi *iis* nunc indicandi erant. Ox. ψ. vitiose *id.*

XI, 25. De Herennii oratione: *quid quaeritis, iudices? Ignoscebam vobis attente audientibus, propterea, quod egomet tam triste illud et tam asperum genus orationis horrebam.* Bene repudiatur Weiskianum *irascebar*, pro *ignoscebam.* Falsam coniecturam peperit etiam perversa interpretatio verbi *horrere*, ut esset pro *reformidare.* Contra Orellius exponit, »horrorem »mihi incutiebat:" idque εἰρωνικῶς dictum pu-

tat: tum apponit, confirmandi causa, locum Verr. Act. I. § 41, *non solum commoveor animo, sed etiam toto corpore perhorresco:* et esse oppositionem dicit, inter v. *horrere* et *commoveri.* Tria, pace viri eruditissimi dicam, peccata exiguo spatio continentur. Primum, citantur illa verba in Nizolianis Indicibus sic, l. I. Verr. 41, i. e. Divin. Caecil. 13, 41. Tum, non est illa oppositio, sed *horrere* et *commoveri* non nisi gradu distant: aptiusque excitare poterat locum II Orat. 45, 188, *quae quum a te tractantur in causis, horrere soleo.* Tertium est, quod illo sensu, ut modo in verbis citatis, *horrere* semper absolute ponitur; sed *horrere quid* h. l., ut loco cit. Orat. II., est toto animo admirari.

Ibid. 27. *Nam P. Clodius — quum se gravissime vehementissimeque iactaret et omnia inflammatus ageret tristissimis verbis, voce maxima, tametsi probavi eius eloquentiam, tamen non pertimescebam.* Verum esse non potest *inflammatus ageret.* Praecipitur quidem in oratore, ut animo commoveri videatur, laudaturque si vere ipse ardeat et *inflammatus* sit: conf. Orat. II, 45, 190: neque tamen eo minus perperam dicitur Clodius *inflammatus omnia egisse;* quoniam minime ipsius animum, sed eloquentiae speciem, i. e. vehemens dicendi

genus nunc voluit notare Cicero. Quapropter corrigendum est *omnia inflammaret tristissimis verbis.* Quid sit *inflammare rem*, cognitum est ex II Orat. 52, 209. Orat. 28, 99.

Mox sequitur: *Tibi autem, Balbe, respondebo primum precario, si licet, si fas est defendi a me eum, qui —.* Istis, *primum precario*, respondent ea, quae dicit orator § 30: *atque ego idem, qui haec postulo, quin criminibus, quae in hunc proprie conferuntur, diligentissime respondeam, non recuso.* Sed illa, *si licet, si fas est*, quamquam non nego defendi posse, tamen non spernendam esse lectionem puto trium Oxon. et unius Leid., *scilicet, si fas est.* Haec enim particula indicat, velut per ironiam, eum non iure ad ista responsurum esse, sed non nisi permittente adversario id facturum. Pulcre nonnulla ex hoc genere illustrata sunt a Madvigio ad Fin. p. 617. sq.

XII, 29. *Facile est accusare luxuriem: — de corruptelis, de adulteriis, de protervitate, de sumtibus immensa oratio est. Ut tibi reum neminem, sed vitia proponas, res tamen ipsa et copiose et graviter accusari potest.* Deturpavit locum insulsum emblema. Nam *vitia*, quum sic reo cuidam certo opponuntur, nihil aliud sunt praeter *rem ipsam*, sicut paulo post dicit, *in*

rem, *in vitia:* itaque nunc hoc dicitur, *ut tibi reum neminem*, *sed rem proponas*, *res tamen ipsa* —. Abiiciantur ista *sed vitia*, quo arctius inter se opponentur, id quod spectavit, *reus* et *res*. Tum copula delenda ante *copiose*, sicut § 23 dicitur *graviter et ornate*. Brut. 294. Aliquanto inferius. § 30, *erat enim meum deprecari vacationem adolescentiae veniamque petere*, praeferam asyndeton, ut habent Palat. apud Gruter. et Oxonienses, *veniam petere*.

XIII, 31. *maximum video signum cuiusdam egregiae familiaritatis*. Rursus offendo in superlativo, cuius nulla ratio est. Corrigatur *magnum*. Ita mox, *magnum rursus odium video*.

XV, 36. *Vicinum adolescentulum adspexisti: candor huius te et proceritas, vultus oculique pepulerunt: saepius videre voluisti: fuisti nonnumquam in iisdem hortis: visa nobilis mulier: illum filium familias patre parco ac tenaci habere tuis copiis devinctum non potes: calcitrat, respuit, non putat tua dona esse tanti*. Tractavit hunc locum diligenter Madvigius Opusc. I. p. 394. sq., cuius hoc in primis laudo, quod *illum* minus recte sententiae initium tenere sensit: minus probo, quod ita locum corrigit, *Vis nobilis mulier illum — devinctum: non potes:* in quibus non ferendus est vel vocativus, vel ap-

positio, *nobilis mulier.* Sed primum haereo in his: *fuisti nonnumquam in iisdem hortis.* In quibus hortis? nondum enim ulli commemorati erant, et, si essent, perinepte diceretur *in iisdem hortis.* Aliquanto post, in hac ipsa sermocinatione, apte dicitur, *habes hortos ad Tiberim*, tamquam novum quid. Praeterea *saepius videre voluisti*, et *fuisti nonnumquam*, praepostere dici videntur. Mihi verisimile videtur transpositione, partim correctione locum sic restituendum esse: *vidisti nonnumquam domi, in hortis: saepius videre voluisti.* Tum credibile est, in iis quae statim sequuntur, ea dici de Clodia, quae opponantur his, *filium familias*, et *patre parco ac tenaci:* cui oppositioni minime satisfacit *nobilis mulier;* melius, credo, *vidua, locuples mulier:* quemadmodum Cap. 16. fin. dicitur, *si vidua libere — dives effuse viveret.* Postremo, *illum*, cuius pronominis vix ulla defensio est, error librarii est relictus, pro *filium*, quod sequitur.

XVI, 38. *Quid enim esset, in quo se non facile defenderet.* Restituendum *est:* et sic Erf.

XVII, 39. *Dicet aliquis: Haec est igitur tua diciplina? Sic tu instituis adolescentes? ob hanc causam tibi hunc puerum parens commendavit et tradidit, ut in amore et volupta-*

tibus adolescentiam suam collocaret, et ut hanc tu vitam atque haec studia defenderes? In postremis (*et ut hanc tu*) secutus est Orellius Palimps. Taur., cuius lectio h. l. manifesto falsa est (id quod in alio exemplo vere quoque contendit Madvigius p. 402), et cedere debet aliorum bonorum librorum auctoritati, quorum Erf. et duo Oxon. *tu* Leid. B. *ut* et *tu*, Leid. A. et C Bern. I. et II *ut* omittunt, Paris. *et hanc vitam* habet superscr. *tu*. Hinc manifestum esse puto in eo codice, unde hi libri fluxerunt, alterutram tantum voculam (sive *ut*, sive *tu*) fuisse, itaque pro sententiae consilio nobis optandum relinqui utra servanda sit. Receptam a se lectionem sic interpretatur Orellius: »ut tu, postquam ille in »voluptatibus adolescentiam suam collocasset, tunc, »quod maius etiam est, hanc vitam defenderes." Igitur coniungit haec cum superioribus (*ob hanc causam tibi hunc puerum parens commendavit?*) Sed praesens defensio Coelii nullo modo in eventibus istius educationis numerari poterat. Igitur *ut* delendum, natum propter corruptum *defenderes*, pro quo duo Oxon. recte *defendes* exhibent.

Ibid. 40. *Sed etiam apud Graecos, doctissimos homines, quibus, quum facere non possent, loqui tamen et scribere honeste et magni-*

fice licebat. Nihili sane est, quod affert Leid. A., *qui quum* pro *quibus quum.* Sed, quod paulo ante Erf. praebet, *qui hanc sectam rationemque vitae magis quam verba secuti sumus*, non erat quidem probandum a Graevio; sed tanto verior est lectio Leid. B. et duorum Oxon. — *vita magis quam verbis.* Scilicet perperam etiam diceretur *rationem hanc vitae re sequi*, tamquam si dicas *vitae rationem ipsa vita sequi:* contra, *sectam rationemque sequi*, nihil aliud h. l. est, nisi placitum ipsum opinione probare. Plane ut nunc loquitur, scripsit Fin. I, 20, 65, de Epicuri placito: *neque vero hoc oratione solum, sed multo magis vita et factis et moribus comprobavit.* Igitur vel *vita magis*, vel *vita et re magis* corrigendum erit, quod magis placet, quoniam *re* servant omnes reliqui, et genitivum *vitae* peperit partic. *et* falso adhaerens praecedenti vocabulo.

Ibid 41. Minutum est, quod corrigi velim, *voluptatis causa omnia sapientem facere*, pro *sapientes:* quippe in istiusmodi placiti enunciatione singularis numerus fere servatur. — Sed haereo in his: *res maxime inter se repugnantes* (*voluptatem et dignitatem*) *dicendi facultate coniungerent.* Non me, ut Ernestum, offendit *facultatis* vocabulum, sed *dicendi*, quod improprie

philosophis tribuitur: malim *docendi.* Agitur de schola, deque umbratica demonstratione.

XVIII, 42. *Vincat aliquando cupiditas voluptasque rationem, dummodo illa in hoc genere praescriptio moderatioque teneatur: parcat iuventus pudicitiae suae; ne spoliet suam,* cet. Sed priora illa (*dummodo — teneatur*) perperam a sequentibus distinguuntur: ipsumque pronom. *illa* requirit ut legatur, — *teneatur, ut parcat* —. — Aliquanto post, *ut ea, quae ratione antea non perspexerat, satietate abiecisse, experiendo contemsisse videatur.* In quibus quid est *ratione perspicere?* Neque melius est, quod nonnulli libri afferunt, *prospexerat.* Sententiae certe convenientius erit *despexerat.* — Tum haec velim quis interpretetur, *ne incurrat in alterius domum atque famam.* Quum minus dici posse viderem *incurrere in alterius domum*, conieci olim *in alterius nomen*, nec probavi Schutzium, qui recepisset *familiam*, pro *famam;* alio enim modo iungi *nomen et familiam* v. c. Fin. II, 22, 72. Et *incurrere in* pro eo, quod dicitur labefactare, nocere, rarissime, si umquam, dixit Cicero, sed usurpavit Trebonius, ad Div. XII. 16. — In fine huius loci et ratio suadet, et bonorum librorum auctoritas, ut legatur *reique publicae.*

Ibid. 43. Non spernam equidem id, quod unus Leid. A. habet, *summi homines, iudices, et clarissimi cives.* Neque multum dissimile hoc est eorum, quae commendat Madvigius Dissert. Crit. de Verrin. p. 365. — Neque hoc contemnendum, quod idem liber, paulo post, habet *summi atque clarissimi viri;* si quidem *ornatus* vel de adolescentibus dicitur magis, vel addito ablativo.

XIX, 44. *At vero in M. Coelio (dicam enim iam confidentius de studiis eius honestis, quoniam audeo quaedam, fretus vestra sapientia, libere confiteri) nulla luxuries reperiatur* —. Haec sic enunciantur, quasi *dicere de studiis honestis*, et *quaedam confiteri* eodem pertinerent. Sed *confitemur* ea quae minus honorifica sunt: idque de Coelio non nunc facere vult orator, sed postea facturus est Cap. 31, 75. (*nihil enim occultabo, fretus humanitate ac sapientia vestra*). Quapropter corrigendum *audebo.*

Sed in iis, quae statim sequuntur, laborat argumentatio. Facta conviviorum ac lustrorum mentione, quorum libido non reperiatur in Coelio, addit: *quod quidem vitium ventris et gutturis, non modo non minuit aetas hominibus, sed etiam auget:* (quasi occurrens iis, qui contenderent, si forte nunc immunis esset Coelius, tamen antea

istis deditum esse potuisse): *amores autem, et hae deliciae, quae vocantur, quae firmiore animo praeditis diutius molestae non solent esse*; (*mature enim et celeriter deflorescunt*), *numquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt.* Si ista *firmiore animo praeditis* diutius molestae non solebant esse, non pertinet hoc ad liberandum Coelium suspicione, adolescentiam eius in istis rebus occupatam fuisse. Videamus libros. Paris. *quae infirmiore.* Bern. I. *quam firmiore.* Bern. II. *quoniam firmiore*, unde in Ox. C remansit *quo firmiore.* Sed quum demonstrare velit Coelii firmum animum fuisse, ita ut istis deliciis semper caruerit, necesse est ut ex Paris. legatur, deleta in seqq. negandi particula, *quae infirmiore animo praeditis diutius molestae solent esse:* cuius rei hoc documentum profertur, quod isti, (non *amores*), *mature et celeriter deflorescunt*, quod quum in Coelio non conspiceretur, argumento erat eum istis rebus caruisse.

Ibid. 45. Non assentior Madvigio, qui assumta quorumdam Codd. lectione, hunc locum sic corrigit: *fieri enim non potest ut animus libidini deditus — hoc, quidquid est quod nos facimus in dicendo, quoquo modo facimus, non modo agendo, verum etiam cogitando possit sustinere.*

Edi solet — *in dicendo, non modo agendo:* ratioque corrigendi arcessebatur ex eo, quod multi libri, (non omnes, ut ille dicit), pro *non modo* habent *quoquo modo.* Atqui sex Oxonienses exhibent *quo modo.* Tum istud, *quoquo modo facimus*, nec aptum per se, et otiosum est, siquidem continetur iam illis, *quidquid est quod nos facimus:* intelligit enim totum munus forense et causarum, cuius muneris gravitas nullo modo amplificatur verbis *quoquo modo facimus:* nullaque modestia hic exspectatur, quoniam de re, non de hominibus loquitur. Trita, opinor, est aberratio librariorum, *quo modo* pro *non modo* scribentium: illinc dein natum videtur *quoquo modo.*

Ibid. 46. Ne huius quidem loci correctionem eam, quam satis fidenter commendat Madvigius, probare possum. Editur: *quae res in hoc genere homines a labore studioque dicendi deterret.* Recte qnidem vir praestantissimus haesit in *dicendi*, quod etiam nonnulli codd. omittunt; verum melius erat, quoniam *labor offendit homines* in hac sententia dici non potest, ex altera corruptione, (in Leid. quoqne et Oxonn.) *labor conficiendi homines*, veram scripturam exsculpere hanc, *labor et contentio homines studiumque d.* Bene autem initio restitnitur *qua re.* — Paulo

ante corrigatur *tanta voluptate discendi*, coll. Brut. 6, 23.

XX, 49. Quoniam *patefecerit*, *collocarit*, *instituerit*, necessario, ut in hypothesi, sunt Coniunctivi Perfectorum, sumenda est in sequentibus altera lectio *faciat*, *gerat*.

Paulo post, descripta persona meretriciae mulieris, haec addit: *cum hac si qui adolescens forte fuerit*, *utrum tibi*, *L. Herenni*, *adulter an amator expugnare pudicitiam*, *an explere libidinem voluisse videatur?* Reliquorum oppositio (*expugn. pudic.* et *expl. libid.*) suadet ut legatur, *utrum tibi — amator expugnare pudicitiam*, *an adulter explere libidinem —*.

XXI, 52. — *quum scires*, *quantum ad facinus aurum hoc quaereretur*, *ad necem legati*. Tria postrema vocabulo manifesto glossema continent, sicut perspicue magis indicatur in tribus Oxonn., *ad necem scilicet legati*.

XXV, 61. *Sed tamen venenum unde fuerit*, *quemadmodum paratum sit*, *non dicitur*. *Datum esse aiunt hoc P. Licinio*. Offendit in his abruptum initium *datum esse*. De veneni crimine quaerere instituerat Cap. 24. init.: ubi, quum diceret *habuisse aiunt domi*, satis indicabat nullo modo tradi unde esset venenum et quem-

admodum paratum esset. Hoc igitur confecto, post digressionem de Metelli exitu, revertitur ad crimen, sed non ut eadem iteret, sed ut ad reliqua pergat. Igitur legendum: *sed tamen, venenum unde fuerit, quemadmodum paratum sit, si non dicitur, datum esse aiunt huic P. Licinio:* in quibus *huic* Madvigio debetur. — Mox § 62, ratio suadet ut recipiatur, quod unus Leid. habet, *quum venisset Licinius, venenumque traderet* —.

XXVII, 64. Parendum esse puto uni Leidensium, unique Oxon., qui, omisso *enim*, exhibent *qui minus Licinius comprehendi potuit.* In Leid. sequitur *tum cum retraxisset;* unde certe *retraxisset* assumendum est. Idemque liber recte *erant enim illic positi*, pro *illi.* — Porro, in his, *Fuerant hoc rogati; fuerant ad hanc rem collocati*, utrobique auctoritate Oxonn. et Leid. legendum est *fuerunt;* sicut statim *potueruntne* —.

Ibid. 65. *Potueruntne magis tempore* (ex Madv. correctione) *prosilire, quam quum Licinius venisset, quum in manu teneret veneni pyxidem? quae si quum iam erat tradita servis, evasissent subito ex balneis mulieris amici Liciniumqne camprehendissent* —. Non opus erat h. l. *mulieris amicos* appellare, et fluxisse

haec verba ex interpretatione, quum vera lectio in superioribus corrupta esset. Scilicet prorsus inauditum est, ut *quae*, quod relativum subiecti locum tenet, interposita coni. *si*, unde verbum *evasissent* suspensum est, ita disiungatur a reliquorum verborum structura. Sed falso hoc relativum ad *pyxidem* refertur, quum oporteret ad istos amicos, ad quos pertinebat primaria sententia in superioribus, quemadmodum Cap. 30, 72, init. *cuius* non ad *severitatem*, sed ad *Coelium* refertur. Legendum esse mihi persuasum est *qui si quum —:* id quod demonstrat etiam unus Leidens., in quo *tradita* superscr. habet *pixis*, quo glossemate caruissemus, si *quae* iam ad *pyxidem* referretur. Nunc etiam facile eiiciemus ista, *mulieris amici*. Sed praeterea *evasissent*, quod verbum prorsus a sententiae consilio abhorret, mutandum in *evolavissent*, quo verbo utitur supra § 63. Reliqua, ut nunc video, iam Ernestus intellexit.

Sequitur: *Quem quo modo illi reprehenderent? Vidisse se dicerent? Primum ad se revocarent maximi facinoris crimen.* Quid est illud *ad se revocare crimen?* Difficile est enim acquiescere vel in Manutii interpretatione (»nam »si viderunt, ergo conscii: non enim, illis vi»dentibus, nisi consciis, pyxidem Licinius tra-

»didisset:" cui rationi obstat, quod mox dicitur eos non vidisse): vel in Abramii (»duplex esse »potest sensus: 1°. se non solum testes, sed etiam »accusatores et actores in causa periculosa, et »maximi facinoris profiterentur: 2°. periculum »adirent, ne veneno in ipsorum manibus depre»henso, et calumniae in Licinium, et veneficii »auctores dicerentur, et ita crimeu in se revo»carent:" nam eo, quod *vidisse se dicerent*, minime tantum adibant periculum). Credo aliquid dici oportere, quod respondeat isti *pernegaret:* idque esse arbitror *adseverarent:* quoniam, si comprehensus Licinius non amplius pyxidem teneret, totum crimen istorum asseveratione niteretur.

XXVIII, 66. *quos quidem ego, iudices, testes.* Hunc ordinem non solum quatuor apud Orellium, sed etiam Oxon. ψ. confirmat, (e quo enotatur *ego vidi testis*, correcto sollemni compendio *iud.*) tum quatuor Leidenses.

Ibid. 67. *ex quibus requiram, quonam modo latuerint, aut ubi: alveusne ille, an equus Troianus fuerit.* Dicuntur haec sic, tamquam opponerentur inter se *alveus* et *equus Troianus;* quum tamen huius quoque *alveus* intelligi debeat. Quare legendum: *alveusne illic, ut equi Troiani, fuerit.*

Rursus: *qui se numquam profecto, si in istum locum processerint, explicabunt.* Dicitur *in istum l.*, quasi de alio loco esset cogitandum: et tamen testes isti in hoc iudicium prodire debebant. Corrigendum videtur *in hunc locum.* Porro, plene interpungendum post *explicabunt:* et sequentia ita continuanda: *Quam volent — diserti sint, alia —.*

XXIX, 70. *hac lege Coelii adolescentia non ad rei publicae poenas, sed ad mulieris libidines et delicias deposcitur.* Probare videtur Madvigius (p. 405. not. 2) lectionem a Lambino repertam: *ad mulieris libidinosae delicias;* quod primum nudum *mulieris* nomen rei iniquitatem non satis notare videatur; tum, quod non *libidini* satisfacere Clodia cupiat, sed ultioni. Neutram rationem probare possum. Neque enim nudum *mulieris* nomen ponitur, sed *mulieris libidines et delicias*, sicut *muliebris libido* dicitur Cap. 1, 2, et, Cap. 32, 78. fin., in simili plane sententia, dicitur *ne patiamini — M. Coelium libidini muliebri condonatum.* Et quod hic *libidines* non *libidinem* posuit, utroque videtur pariter uti orator, qui Cap. 11, 25, *dixit multa de luxuria, multa de libidine, multa de vitiis iuventutis:* et Cap. 12, 30, *si qua est invidia communis hoc tempore aeris alieni,*

petulantiae, libidinum iuventutis. Ceterum negari non potest, improprie dici *ad mulieres libidines et delicias deposcitur*, quum intelligendum sit ad ultionem, cuius cupiditas ex spretis libidinibus oritur: nec plane dispar est ratio eorum, quae aliquanto post Cap. 30, 71 dicuntur, *mulieris dolorem et iniuriam sunt persecuti.*

XXX, 72. *M. vero Coelius cur in hoc iudicium vocatur? cui neque proprium quidem crimen quaestionis obiicitur, nec vero aliquid eiusmodi, quod sit a lege seiunctum, cum vestra severitate coniunctum.* Sprevit Orellius suorum librorum auctoritatem (quibus nunc accedit unus Leidensium), qui exhibent *et cum vestra —*: dicitque satis elucere oppositionem in ea lectione, quam edidit. Non attendit vir praestantissimus, in iis, quae edidit, sic enunciari sententiam, quasi utrumque requireretur ad iudicium, et ut a lege seiunctum, et ut cum iudicum severitate coniunctum esset: contra, requiri hoc, ut postremum tantum urgeatur, *etiam si* prius sit verum. Atqui in hac sententia requiritur, ut ex codd. *et* efficiatur vel *sed*, vel *at*, in quod Ernestus incidit.

Ibid. 73. *Discessit illinc Pompeii iudicio probatissimus, ut ipsius testimonio cognoscetis. Voluit vetere instituto — industriam suam —*

cognosci. Primum *decessit* recipiendum ex Palimps. Ambr.: quo verbo *decedendi* in privatis quoque uti Ciceronem, satis constat. Sed asyndeton (*voluit*) minime est huius loci: legendumque suspicor *ut decessit — cognoscetis, voluit* —. Neque enim hoc in primaria sententia memorare nunc attinebat, decessisse istinc Coelium, (quamquam adiicitur, sed tantum obiter, eum Pompeii iudicio fuisse probatissimum), sed quid dein suscepisset.

XXXI, 74. *Postea nemini umquam concessit aequalium, plus ut in foro — valeret.* His *umquam* accessit ex Palimps. Ambr.: ceteri enim (Leid. quoque) carere videntur. *Nemo umquam* recte per se dici, non opus erat ut exemplis ab Orellio demonstraretur: sed temporis adverbium in hac sententia alienissimum est, tamquam si de longo intervallo ageretur, aut tota illa industria dierum numero, nec potius contentione esset aestimanda. Mihi corrigendum videtur *cuiquam*.

Ibid. 77. *Quare, si cui nimium effervisse videtur huius vel in suscipiendis vel in gerendis inimicitiis vis, ferocitas, pertinacia* —. Recte vidit ac demonstravit Madvigius, in postremis falsam esse lectionem. Et *vim* quidem ideo memorari non oportebat, quoniam nunc sermo est de qualicumque animi vitio, neque sic

absolute *vis* dicitur. Abest sane *pertinacia* ab optimis libris (a Leid. quoque), sed duo Oxonn., si fides est collationi, habent *ferocitatis pertinacia.* Ex literarum vestigiis efficio, *inimicitiis sive ferocitas, sive pertinacia.* Tullianum hoc esse, ut in excusando duo ponat nomina, non plane synonyma, sed quorum vis gradu tantum distet, vix opus est exemplis confirmare.

XXXII, 78. *non potest, qui ambitu ne absolutum quidem patitur esse absolutum* —. Pro *patitur* in optimis sane libris est *datur* (aliis, *dat*): sed non ea idonea causa erat, quare totum verbum damnaret Madvigius. Quumque Coniunctivum hic recte requirat, suspicor terminationem certe superesse in *datur* (*atur*), sed ex male reddito compendio, *pãtur*, effingendum esse *patiatur.* — Aliquanto post, in verbis *servitia ad caedem et inflammandam urbem incitavit*, requiro *ad* ante *inflammandam.* — Tum, in his, *ne eadem mulier cum suo coniuge et fratre turpissimum latronem eripuisse et honestissimum adolescentem oppressisse videatur*, duabus literis iteratis legendum *et turpissimum.*

VII.

De emendando Bruto Ciceronis.

Quod de Coelianae codicibus negavi affirmari posse, fluxisse omnes ex uno vetustiori libro, id in Bruto tamen dubitari non potest, quippe, qui feruntur libri manuscripti, ex uno Laudensi libro, initio sec. XV reperto, orti sunt, ut bene Orellius demonstravit. Quae quum ita sint, nihilominus latum campum patere coniecturae de vera lectione tentandae, et in plurium librorum collatione divinationem admodum lubricam esse, idem censet vir doctissimus, minime ille conspirans cum Madvigii placitis. Videamus igitur, quid sana interpretatio, quam eamdem esse criticam dixi, in singularibus quibusdam locis suadeat.

I, 4. *ille cessit e vita.* Propter aliorum omnium exemplorum auctoritatem credibile est in vetusto libro scriptum fuisse, duplicatis duabus literis, *illeeccesit*, i. e. *excessit.*

Ibid. 5. *si id dolemus, quod eo iam frui nobis non licet.* In Hortensio significando pronom. *eo* non satisfacit. Requiritur, ut supra, *illo iam frui.*

II, 7. *Equidem angor animo non consilii, non ingenii, non auctoritatis armis egere rem publicam* —. Frustra quaesivi exempla quibus niteretur Ernesti interpretatio, ut *egere* diceretur pro desiderare, uti velle: contra, ubique eo quis *egere* dicitur, quod ei deest, sicut, ne longe discedam, infra § 238 et 263. Et ne recte quidem per se dici potest, *rem publicam egere* aut *non egere:* multoque diversum est *rem publicam carere*, conf. § 157 et 332, quod dicitur pro non habere, non frui: in altero autem illo sensus inest defectus, quem expleri cupias. Atqui nec deerant rei publicae arma consilii, cet., ita ut dici posset iis *egere*, nec, si non deessent, (*non egere*) erat quod Cicero animo angeretur. Qua propter aptius mihi videbatur ut pro *egere*, legeretur *geri*, in quam suspicionem Corradum quoque incidisse video.

III, 10. *ut — omnis, quae me angebat de*

re publica cura consederit. Non spernendum, quod marg. Gothofr. habet, *angebat rei publ. cura.* Est sane bis *angor de aliqua re* in Epp. ad Att. II, 18, 4 (quod tamen exemplum, meliori interpunctione, hinc excludendum esse puto), et VII, 22, 1, *accusare eum* (Pompeium), *de quo angor et crucior:* sed neque *cura angor de re*, neque *cura de re angit me*, multoque minus *cura angit me de re*, Latine dicitur.

Ibid. 13. *volui id quidem efficere certe.* Moleste partic. *certe* subiicitur verbo *efficere*, quasi ultra hoc ipsum aliud quid etiam exspectandum esset: contra manifesto pertinet ad *volui:* nec usquam, credo, exemplum exstat, ubi *quidem certe* verbo interposito disiungantur. Suspicor *efficere* interpolatum esse. Conf. Handius Tursell. II. p. 27. sq.

Ibid. 14. *quo iste omnem rerum memoriam breviter — complexus est.* Quarumnam *rerum?* Excidit *Romanarum.* Conf. § 322. et Orell. ad § 19. — Pariter mox, § 15, post *literarum*, excidisse mihi videtur *tuarum:* neque enim *literas* universe intelligit, sed Attici, quod significandum erat.

IV, 16. *sic omnis fetus repressus exustusque flos siti veteris ubertatis exaruit.* Laboraverunt viri docti in hoc loco vel interpretando

vel corrigendo. Mihi videtur verb. subst. *est* absorptum esse praepositione *ex*, legendumque *repressus est exustusque* —. — Statim sequitur: *nec ex conditis, qui iacent in tenebris et ad quos omnis nobis aditus, qui paene solis patuit, obstructus est.* Nondum convenit inter Interpretes, qui sint illi *conditi fructus* intelligendi. Alterum, quod obscurius etiam est, omnino non attigerunt, quo sensu aditus ad illis fructus dicatur *paene solis patuisse*, et qui sint illi *soli;* tum quo modo aditum ad eos *obstructum* esse dicat. Commodissimnm est in eorum concedere suspicionem, qui studia philosophiae intelligi putant oportere. Sed, ut Cicero dixerit aditum ad ista sibi soli patuisse, vix credibile est. Aptissimum sane est, eiusmodi studia voluisse eum significare, in quibus ante scribendo atque edendo operam posuerat, exclusis actionibus, quas non condere, sed statim edere consueverat. Fieri potest, ut cogitaverit de libris De Legibus, quod argnmentum, paucis ante annis affectum, non penitus elaboraverat necdum perfectnm ediderat, sicut demonstravi in Prolegomenis. Et quandoquidem nullum aliud opus *conditum* eo tempore habuisse videtur, credo verba illa, *qui paene solus patuit*, (sic enim, non *solis*, legendum videtur), hoc ipsum indicare, unum hoc fuisse,

quod potuisset, si otium et animus concederetur, absolvere eodemque uti ad remunerandum Atticum: propterea autem *obstructum* esse illum aditum, quod in illo Caesaris dominatu difficile esset edere, quae ipse de iure et de disciplina civitatis sentiret.

In verbis, quae paulo post sequuntur, *quod ita diligenter colemus, ut impendiis etiam augere possimus largitatem tui muneris*, obscurum est, quid significet. Quo modo enim Cicero *augere* poterat largitatem muneris Attici? et quae omnino *largitas muneris* intelligenda est? *Largitas*, ut puto, naturae tribuitur eius soli, in quo quis serit: et, in praesenti metaphora, sic scribere potuit Cicero, ut dixerit, se opera ac diligentia adornaturum etiam esse ipsius argumenti naturales copias. Suspicor post *largitatem* quaedam excidisse.

V, 19. *quoniam hic, quod mihi deberetur, se exacturum professus est, quod huic debes, ego a te peto.* Corrigendum est, *quod mihi debetur.* Neque enim ratio aut Coniunctivi aut Imperfecti reddi potest: non est definitio generis, sed mera circumlocutio unius et certae rei.

VI, 25. *quanta vis sit eius* (eloquentiae) *expromere.* Accidit hic, puto, quod pluribus locis, ut *exponere* per errorem mutatum sit in

expromere. Sua, quae condita habebat, sane expromere poterat Cicero: sed persequi aliquod argumentum et ornare, hoc dicitur *exponere.* — Statim, *quantamque iis, qui sint eam consecuti, dignitatem afferat*, contra optimos, ut videtur, libros servandus est Coni. *sint*, propter interrogationis suspensae formam, in quam haec includuntur. Perperam Ellendtius *sunt* commendat.

VIII, 34. *quae (sententia) quum aptis constricta verbis est, cadit etiam plerumque numerose.* Ineptissimum est *constricta sententia.* Corrigatur *structa*, quod sollemne est Ciceroni in hac re, sicut Orat. 41, 140 et passim. Quam varie istud corrumpere soleant librarii, apparet e codd. lectionibus, *constructa*, *conscripta*, *circumscripta:* et in Orat. 5, 20. *instructa:* ibid. 52, 175 de Thrasymacho, *structa - numerose* corrigendum, pro *scripta.*

IX, 35. In Demosthenis laudibus: *nihil subtiliter dici (potuit), nihil presse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius: nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate vel sententiarum, quo quidquam esset elatius.* Merito Ellendtius haesit in verborum consecutione, *possit — esset;* nec accipio Orellii interpretationem, qui defendit

»*possit* nunc et omni tempore; *esset* et tunc, »quum scriberet, et nunc et per omne futurum »tempus," quasi quidquam discriminis in his enunciandis admitti posset. Sed non corrigendum est *sit*, verum *quo quidquam esse elatius*, sc. possit, e superioribus repetendum. — Ceterum non assentior Lambino, *verborum* nullam esse per se *gravitatem;* quam opinionem amplexus est Orellius. Dicitur sane Orat. 5, 20 *sententiarum gravitas et maiestas verborum:* sed tum infra 62, 221, ita dicitur *erat in verbis gravitas*, ut nullo modo cum *granditate* permutari possit, tum 76, 265 *summa verborum et gravitas et elegantia* minus etiam improbandum est: conf. Offic. I. § 136.

Ibid. 37. *Phalereus enim successit iis senibus adolescens.* Nihil praecedit, cuius haec rationem reddant. Quare corrigendum *Phalereus tum successit his senibus adol.:* nam ne *iis* quidem est huius loci.

X, 41. Ubi breviter ortum et progressus Atticae eloquentiae persequitur, quum dixisset *studium eius generis maioremque vim agnosci in Pisistrato*, subiicit: *Denique hunc proximo seculo Themistocles insecutus est.* Cuius sententiae initium vitiatum esse mihi persuasum est. Primum, quorsum illud *denique?* Multum enim

abest ut rei expositio in Themistocle consistat, et quasi ad finem perducta sit. Mutabimusne in *deinde*, cuius confusionis possunt exempla proferri? Non faciemus. Nam ita alterum restat, in quo offendo, ut *hunc* secundo loco ponatur, praecedente adverbio aut coniunctione; id quod ab huiusmodi enumerationis consuetudine alienum est, cuius exempla excitare putidum sit. — Quid sit *regnante Graecia*, in proxime sequentibus, vellem quis mihi explicaret.

XI, 43. *illa mors vulgaris nullam praebebat materiem ad ornatum.* Quod ex marg. Ed. 1584 commemorat Orellius, *ad ornandum*, unice verum esse puto. *Fieri ad ornatum*, recte dicitur, sicut in iis exemplis, quae attigi Bibl. Crit. N. V. 1. p. 21. sq.: *materies ad ornatum*, non item; nam *materies* non per se ornatum illum gignit, sed ipsa potest ornari.

XII, 46. Ex Aristotele, de ortu rhetorices: *tum primum, quod esset acuta illa gens et controversa natura, artem et praecepta Siculos Coracem et Tisiam conscripsisse.* In codd. est *controversia natura*, aut *controversi a natura.* Persuadent mihi Bernhardii rationes, *controversa*, quoquo modo accipiatur, alienum esse ab huius loci sententia. Nempe postulatur ut eae naturae dotes commemorentur in Siculis, propter

quas *artem et praecepta* facilius accipere possent. Vera lectio dudum periisse videtur, indeque inepta interpolatio orta esse. Fieri potest (nam quis affirmet?) ut Cicero scripserit *et diserta natura.* — Mox § 47: *quod idem fecisse Gorgiam, quum singularum rerum laudes vituperationesque conscripsisset*, ineptam enunciationem continent, sic sanandam, *quem — conscripsisse.*

Ibid. 48. *Similiter Isocratem primo artem dicendi esse negavisse, scribere autem aliis solitum orationes, quibus in iudiciis uterentur, sed quum ex eo, quia quasi committeret contra legem, quo quis iudicio circumveniretur, saepe ipse in iudicium vocaretur, orationes aliis destitisse scribere totumque se ad artes componendas transtulisse.* Locus desperatus, et tum ipsa verborum compositione hians, tum rebus traditis, iuri Attico et historiae repugnans. Neque enim illud institutum Isocratis contra leges erat, nec umquam causam dixit nisi in iudicio ἀντιδόσεως. Proponam coniecturam, audacem, fateor, sed probabilem fortasse: verba *quia quasi committeret — circumveniretur*, delenda esse ut insititia, tum legendum, *saepe ipse in iudicium advocaretur —.* Non temere enim quis suspicetur Isocratem, quum propter orationis copiam et fa-

cultatem saepe ipse alienarum causarum συνήγορος expeteretur, timiditate hoc refugisse, ideoque institutum mutasse.

XIII, 49. *Et Graeciae quidem oratorum partus atque fontes vides.* Quid sit *oratorum partus*, interpretatione non indiget; sed *oratorum fontes* nec per se recte dicitur, nec, si diceretur, tam diversa iungere potuisset Cicero, *partus et fontes*. Infra § 182 appellavit *oratorum foetum;* neque h. l. spreverim si *foetus* legatur pro *fontes*, ut sensit Ernestus.

Ibid. 51. *At vero extra Graeciam — reddiderunt. Nam, ut semel — dedisceret.* Non recte hae duae sententiae sibi invicem respondent, quum *magna dicendi studia* ita exstitisse affirmentur, quod eloquentia *loqui paene dedidicisset.* Rectius haec sic enuncientur: *At vero extra Graeciam quamquam magna — reddiderunt, tamen, ut semel* cet.

XIV, 57. *C. Flaminius, is, qui tribunus pl. legem de agro Gallico et Piceno viritim dividendo tulerit, qui consul apud Trasimenum sit interfectus —.* Rectissime Schutzius reduxerat Indicativos, *tulit, est interfectus:* nec dubitandum erat quis § 100 unice verum esset *habitus est*, et *optima est*, tum § 107. *occisus est.* item § 181. *habiti sunt et fuerunt.* Post accu-

ratam Madvigii aliorumque disciplinam putidum sit haec rationibus confirmare. Contra § 61, *eum nos ut perveterem habemus, qui L. Marcio, M' Manilio consulibus mortuus est*, necessario corrigendnm *sit*, quippe explicatur illa vetustas.

XVII, 67. *Sed et in nostris inscitia est, quod ii ipsi, qui in Graecis antiquitate delectantur, eaque subtilitate, quam Atticam appellant, hanc in Catone ne noverunt quidem.* Unus Heusingerus offendit in *et:* merito: sed corrigendnm erat *sed ea in nostris inscitia est.*

XVIII, 69. De Catone: *nec vero ignoro nondum esse satis politum hunc oratorem, et quaerendum esse aliquid perfectius: quippe quum ita sit ad nostrorum temporum rationem vetus, ut nullius scriptum exstet dignum quidem lectione, quod sit antiquius. Sed maiore honore in omnibus artibus quam in hac una dicendi versatur antiquitas.* Ravius, qui nonnulla acute a se excogitata in Bruto mecnm communicavit, pntabat rationem huius loci requirere, *nec maiore honore.* Non assentior: quoniam in iis, quae sequuntur, demonstratnr, in aliis artibus antiquissima etiam laudari ac placere solere. Sed mihi videtur coni. *sed* non esse huius loci. Neque enim haec in forma oppositionis

enunciantur, verum generalis quaedam observatio additur. Requiro *Et maiore* —.

XXVII, 106. *quam legem L. Cassius, Lepido et Mancino consulibus, tulit.* Videri poterit hoc inutile emblema esse, quum eius rei iam supra § 97 mentio facta sit.

XXIX, 110. *In quibusdam laudandis viris, etiam si maximi ingenii non essent, probabilis tamen industria: quamquam iis quidem non omnino ingenium, sed oratorium ingenium defuit.* Quid de hoc loco viri docti, vel ad interpretandum, vel ad emendandum excogitaverint, nec repetere, nec singula refutare libet. In prima parte, ut de singulis primum dicam, offendunt me duo, *maximi ingenii*, et *probabilis industria.* Nam, ut *parvum ingenium*, et *mediocre*, et *magnum*, et *maius*, et *summum* saepe dicitur a Ciceroni, ita *maximum* non dici puto. Neque *industria* hoc adiectivo, *probabilis*, laudari potest, sicut nulla animi dos aut virtus; quamobrem infra quoque § 180 corrigendum est *ingenio sane probabilis.* Sed tota illa mentio *industriae* non postulabatur hoc loco: Rutilii etiam *multam industriam* apto loco commendat § 113. Praeterea, perquam inepte, quum iam dictum esset eos *non maximi ingenii* fuisse (quo ipso iam significabatur mediocre ta-

men ingenium iis concedi), subiicitur *quamquam iis quidem non omnino ingenium — defuit.* Non reticebo mihi videri priora illa (*in quibusdam — tamen industria*) ab annotatore fluxisse, qui observavisset aliquoties in mediocribus oratoribus laudari tamen a Cicerone industriam. — Paulo post, *nisi id, quod dicitur, fit voce — conditius*, corrigendum *fiat.*

XXX, 113. Non sine causa Ravius delenda censet haec verba: *ipse etiam Fufidius in aliquo patronorum numero fuit.* Nam interrumpunt sane eam orationem, quae conferendis Scauri et Rutilii laudibus destinatur. Fortasse tamen excusari poterunt, si cogitamus multis partibus hunc libellum commentarii speciem praebere, in quod multa etiam coniicerentur, quae minus ad propositum argumentum pertinerent, sed opportune tantum commemorari viderentur. Veluti modo, Cap. 26, 102, memorabatur Coelius Antipater, qui tamen neque orator fuit, neque, quantum memini, orationum scriptor. Idem valet de Afranii mentione, infra Cap. 45, 167, ubi *poëta* deleri vult Ravius, me probante: sed ne hic quidem fuit orator.

XXX, 115. De Rutilio, qui in sua causa oratoriam facultatem adhiberi nolebat: *dixit ipse pro sese, et pauca C. Cotta, quod sororis*

erat filius, et is quidem tamen ut orator, quamquam erat admodum adolescens. Inepte dicta. Si *ut orator*, noluisset eius operam adhibere Rutilius. Legendum est, *sed ne is quidem tamen ut orator*, (*quamquam erat admodum adolescens*), *et Q. Mucius enucleate* cet. —: continuanda enim haec sunt de patronis Rutilii.

XXXIV, 129. *C. Fimbria — habitus est sane, ut ita dicam, luculentus patronus asper maledicus —.* Placuit merito viris doctis Ernesti correctio, qui *truculentus* substituit priori illi adiectivo: sed minus recte *patronus* expungi voluerunt, quod corrigendum erat *atrox.* Hoc postremum alio modo in codd. corruptum erat supra § 86. Sic *atrociter dicere* Orat. § 56.

XXXV, 134. De Catulo: *sed erat talis, ut, quum quosdam audires, qui tum erant praestantes, videretur esse inferior; quum autem ipsum audires sine comparatione, — melius non quaereres.* Priora vitiosa esse sensit Schneiderus, quod comparatio nulla indicatur: ideoque coniecerat, *ut si cum iis audires.* Nondum satisfacit. Ex codd. lectione, *quum is quosdam*, efficiendum puto, *cum iis quum dicentem audires.*

XXXVI, 138. *Quam multi enim iam oratores commemorati sunt, et quam diu in eorum*

enumeratione versamur, quum tamen spisse atque vix, ut dudum ad Demosthenem et Hyperidem, sic nunc ad Antonium Crassumque pervenimus! In illa comparatione (*ut dudum*) hoc significatur, in eadem enumeratione multo ante ad Demosthenem, quam ad Antonium Crassumque perventum esse. Sed non erat istorum, Graecorum et Romanorum, una series et una enumeratio, seorsumque de illis dixerat: igitur temporis aut intervalli discrimen, quo Demosthenes ab Antonio Crassoque distaret, nunc quaeri non poterat. Sed, quemadmodum *nunc* est, in hac Romanorum oratorum enumeratione, sic *tum* (quod scribendum est pro *dudum*) refertur ad Atticorum oratorum historiam; et ex utraque enumeratione confert eos, qui perfectissimi habebantur.

XXXVII, 140. De Antonio: *verba ipsa non illa quidem elegantissimo sermone: — sed illa, quae proprie laus oratoris est in verbis —.* Postrema, quae suspensa sunt, recte vidit Matthiaeus ex anacoluthia explicanda esse, et instaurari sententiam in verbis *sed tamen Antonius —.* Verum, *verba elegantissimo sermone*, defendi nullo modo potest. Quis umquam dixerit, *verba sunt hoc sermone?* Novi oratorem appellari *plenum sermonis*, § 239: sed non erat hoc Antonii, et, si esset etiam, nihil pertinebat *sermo*

ad singula *verba*. Quare aut, deleto *sermone*, legendum erit *elegantissima*, aut *elegantissimi sermonis*. Quod autem minus dubitandum est, Lambini correctio, ut *propria laus*, non *proprie*, legatur, recipienda est. — Quae mox appellantur *sententiarum ornamenta et conformationes*, pertinent ad locum ex Oratore, quem apposui supra p. 82. — De iis, quae § 141 eduntur, assentior Schutzio, verba *manus*, *humeri* — *sententiisque consentiens*, insititia esse, fortasse conflata ex De Orat. III. 59. et Orat. 18, 59. Relinquitur, absolute dictum, *vox permanens*, nullo modo ferendum, et fortasse mutandum in *personans*.

XXXVIII, 143. De Crasso: ***in disserendo mira explicatio; quum de iure civili, quum de aequo et bono disputaretur, argumentorum et similitudinum copia*.** Cogitavit, haec scribens, manifesto nobilem illam Curianam defensionem. Sed, ut ***argumenta et similitudines*** proprie usurpantur quum ***de aequo et bono*** disputatur, ita auctoritas et interpretatio ***ius civile*** defendunt maxime, quo nomine superabat sane Crassum Scaevola. Quare, ut asyndeton quoque tollatur in rebus, quae inter se oppositae sunt, legam, ***in iure civili quum de aequo et bono disp.***, i. e. in quaestionibus iuris civilis.

XLIII, 158. *Paratus igitur veniebat Crassus, exspectabatur, audiebatur.* Postremum fluxit ex interpretatione: nam *exspectari* orator dicitur, quem ad finem usque patienter audiunt homines: sicut *exspectatio* dicitur Orat. I. § 180, III. § 33: quod propterea notandum, quia non intellexit Orellius ad Orat. 236. edit. min., et ne quis istic perversam correctionem, *exspectari*, probet. Sed sequentia melius distinguenda sunt. Nam § 159, *iam in altercando — neminem*, hoc modo videntur cum superioribus laudibus coniungenda: — *perbrevis, ut etiam in altercando invenerit parem neminem:* tum, posita plena distinctione, novam sententiam inchoat de Crassi cursu forensi, *Versatus est* cet.

Ibid. 161. *Sed haec Crassi quum edita oratio est, quam te saepe legisse certo scio, quatuor et triginta tum habebat annos —.* In hac verborum structura *tum* certe non tantum abundare, sed eiiciendum etiam videbitur. Occurrere dicas Ed. pr., in qua est *tum edita — quum habebat.* Sed omnino non quaeritur quem annum ageret Crassus quum *edita*, sed quum *acta* causa est: et ex pluribus, quas adolescens egisset, hanc editam esse, et a Bruto legi potuisse dicit. Quamobrem in vulgata lectione ni-

hil mutandum, nisi *quum* eiiciendum, mediaque distinctio post *scio* ponenda.

XLIV, 162. *Erit, inquit Brutus, aut iam est iste quem exspectas?* Recte Bernhardius defendit partic. *aut.* Sed interrogandi signum tollendum erat. Eiusdem sententiae est hoc Legg. III, 17. init. *puto posse, et quidem aliquem de tribus nobis.* Conf. Orat. III, 61, 229.

XLV, 168. *Fuit etiam Q. Rubrius Varro —, acer et vehemens accusator. In eo genere sane probabilis, doctus autem Graecis literis, — factus ad dicendum, M. Gratidius.* Interpungenda sunt sic, — *vehemens accusator, in eo genere sane probabilis. Doctus autem —.* Ut edi solet, Graecarum literarum disciplina inepte iungitur cum accusatorio instituto. Eadem ratione (ut *autem* sic initio ponatur) scribitur Cap. 35. init. et § 102. et 108. et passim.

XLVI, 169. *T. Betucius —, cuius sunt aliquot orationes Asculi habitae: illa Romae contra Caepionem —.* In hac enumeratione, quum *illa* non ad orationem iam commemoratam referatur, requiritur — *habitae, et illa Romae*, sc. habita.

XLVII, 174. De L. Gellio: *atque ita diu vixit, ut multarum aetatum oratoribus implicaretur, multum etiam in causis versaretur.*

Postrema inepte adduntur: poterat enim multum in causis versatus esse, etiamsi minus diu vixisset: tum illud ipsum iam occupatum est in his verbis, quae praecedunt, *multam operam amicis et utilem praebuit.* Scilicet restituenda lectio et interpunctio sic: — *oratoribus implicaretur. Multum etiam in causis versatus, iisdem fere temporibus, D. Brutus* —.

Ibid. 175. Commemoratis D. Bruto, et Scipione et Cn. et Sex. Pompeiis, qui non magni oratores fuissent, haec subiiciuntur: *Item in iure et ante hos M. Brutus et paullo post eum C. Bellienus, homo per se magnus, prope simili ratione summus evaserat.* Complura sunt in his quae offendunt. Verbi causa, quod *M. Brutus* ita nude commemoratur sine ullius virtutis aut facultatis aut rerum gestarum mentione, qualis tamen reliquorum nomina, hoc praesertim loco, comitari solet, vix ferendum est. Nam, quae initio leguntur, *item in iure*, ab Aldo est; codices habent *sitam in iure*, aut *itam iniure.* Sed Brutum hunc nemo facile dixerit, quis fuerit. Perperam certe Orellius in Onomastico p. 318. b. confundit eum cum eo, qui supra suo loco Cap. 34, 130 ornatus erat, iuris peritissimo, cuius filius accusatorio munere infamis fuerat. Accedit, quod incommode, in duorum hominum

commemoratione, de altero dicitur *ante hos*, i. e. ante Scipionem et Pompeios, de altero *post eum;* quippe hoc idem est ac si dixisset, eadem cum illis aetate; et, si accurate enunciandum esset, exspectaretur *post hunc*, nempe Brutum. Sed ipse quoque Bellienus fuerat *ante hos;* siquidem D. Brutus consul fuit a. u. 676, Bellienus autem per *Marianos consulatus et eas petitionis angustias*, qui fuerunt a. u. 646—653, ad illum honorem pervenire non potuit: rursus Cn. Octavius, qui statim post memoratur, Consul fuit a. u. 667. Non est hoc quidem in hoc libello inauditum, ut temporum series non accuratissime servetur in singulis oratoribus commemorandis: sed tamen oratio ipsa ut diserta sit postulandum est, quae nunc, initio certe, turpiter est vitiata. Sed, quod de Bellieno dicitur, *prope simili ratione summus evaserat*, referre videtur Orellius, in Onomastico, ad idem iuris civilis studium: quod si esset, non dixisset, puto, *prope* simili ratione. Corrigendum esse suspicor *prope sine ulla oratione*. Ita de Torquato § 265 dicitur, *non deerat oratio:* de Silano, § 240 *habuit orationis satis:* conf. § 165, mox de Cethego, § 178, *satis suppeditabat oratio.* Quod *per se magnus* dicitur Bellienus perperam tueri mihi videtur Orellius; neque sic interpretari licet, ut fecit Corra-

dus. Quapropter vera fortasse est Ravii suspicio, legendum esse *per se cognitus*, ut supra Cap. 25,96.

XLIX, 184. *disputationem hanc — malim tibi et Bruto placere: eloquentiam autem meam populo probari velim.* Primum haec ita dicuntur, quasi eloquentiam minus curaret Attico et Bruto placere: tum insolenter *eloquentiam meam* appellat. Pronomen mutandum censeo in *etiam*, ut sententiae etiam hoc modo satisfiat: sicut mox § 187, *mihi cane et populo.*

LI, 192. *Quid tu, Brute, possesne, si te, ut Curionem quondam, concio reliquisset?* Optimi libri auctoritate *posses* scribendum.

LIII, 197. Ubi describitur Crassi oratio in causa Curiana: *Crassus ab adolescente delicato, qui in litore ambulans scalmum reperisset, ob eamque rem aedificare navem concupisset, exorsus est, similiter Scaevolam ex uno scalmo captionis centumvirale iudicium hereditatis effecisse, hoc in illo initio consecutus, multis eiusdem generis sententiis delectavit —.* Ellendtius, *in* deleto, *hoc illo initio;* quod Meyerus interpretatur, *hoc faceto initio.* Sed neque *hoc initium* sic explicari potest, neque quo pertineat *consecutus* apparet, ne tum quidem, si *hoc consecutus* iunguntur. Nihil prorsus aptum est in codd. lectione. Nam ne illud quidem, quod

putabat Ellendtius, *consequi* esse pro *persequi*, huius loci est; si quidem ita loquitur Cicero, quum *tenere*, i. e. ad finem usque *servare*, dicere vult. Conieci corrigendum esse, *hoc simili initio constituto*, i. e. illa comparatione posita captionis cum scalmo illo.

LIX, 213. *neminem — cognovi — tam indoctum, tam rudem.* Excidit *que*, scribendumque *tamque rudem.* Sic in bonis codd. § 215. perperam *erant* legitur, pro *erantque.*

Ibid. 216. *in instruendo dissipatus.* Hic quoque, credo, idem accidit, de quo supra ad § 34 notavi; corrigendumque *in struendo:* et opponitur *dissipata* oratio *structae* et *aptae.* — Contra, § 218, *est* excidit post *ductus;* sicut in D. 219 post *mirum.* Similiterque § 225 init. corrig. *quos est Sex. Titius consecutus.* — In eadem § 219 de Curione: *sed ita totus errat, ut in eodem sermone dicat in senatum se, Caesare consule, non accedere, sed id dicat ipso consule, exiens e senatu.* Non per se reprehendenda coniunctio *sed* (*sed id dicat*); verum, quum ea forma sit enunciationis, ut quae duo simul dicerentur (*in eodem sermone*) commemoretur, praestabit legere *et id dicat.*

LXII, 224. *Hyperboli, cuius improbitatem veteres Atticorum comoediae notaverunt.* Du

bito an isto modo *comoediae veteres* numero plurali recte dicantur: ac fidenter corrigam, *velus Att. comoedia notavit.*

LXIII, 227. *Et erat eius quidem tamquam habitus non inurbanus.* Aliena est a consilio sententiae partic. *quidem*, quae concedentis et excusantis est; hic autem absolvuntur ea, quae in Antistio laudanda erant. Corrigatur *quidam.* Utrum infra § 259 (*alia quidem quasi*) bene mutetur in *quddam*, dubitari potest.

LXIV, 230. *Si quidem et Crasso vivo dicere solebat* (*Hortensius*), *et magis iam etiam vigebat Antonio et cum Philippo iam sene pro Cn. Pompeii bonis dicente in illa causa — princeps fuit.* Unum recte vidit Madvigius, plenam distinctionem post *dicente* tollendam esse, quum inde ab Ernesto ederetur — *dicente. In illa causa —.* Sed perperam vir praestantissimus probat *vigebat cum Antonio;* quippe *vigere* absolute dicitur, sine societatis mentione, estque *vigebat* idem atque *maturior erat.* Neque hoc probandum, quod *cum* ante *Philippo* sustulit. Mire contra Orellius vulgatum ita interpretatur: »et magis iam etiam vigebat, florebat quam An»tonius mortuus." Quo modo locus constituendus sit, apparebit interpretatione adhibita. Apparet enim diversas aetates notare velle Cicero-

nem, quibus Hortensius forum obtinuerit. Atqui *Crasso vivo* et *cum Antonio*, non sane nisi unam eamdemque aetatem indicant: alter enim mortuus est a u. 663, alter quatuor annis post: ideoque infra § 301, *excellente tum Crasso et Antonio* dicitur. Secundam aetatem definit Philippus, qui complures annos post illos vixit: tertiam Sulpicius; quartam Piso et reliqui. Praeterea, quum vix probandum sit ut Hortensius dicatur *princeps fuisse cum Philippo pro Pompeii bonis dicente*, sive ad ordinem, sive ad dignitatem *princeps* referatur; quumque, si alio modo coniungere Hortensium cum Philippo voluisset, dicendum fuisset, sicut in fine huius § (*tecum — pro Appio Claudio dixit*), *cum Philippo — dicens — princeps fuit;* equidem sic legendum existimo: *et Crasso vivo dicere solebat, et magis iam etiam vigebat Antonio mortuo, quum Philippo iam sene pro Cn. Pompeii bonis dicente in illa causa, adolescens quum esset, princeps fuit, et in eorum* cet.: qua ratione secunda aetas significatur post Antonii mortem; anno enim post Pompeius causam dixit. Ceterum, *princeps fuit* idem est quod *priores partes egit*, sicut dicitur infra § 317, neque quod ibid. dicitur, *Cotta princeps adhibitus est*, evertit ea, quae annotavi ad Legg. II, 6, 14. p. 489.

LXIX, 242. *Addamus — C. Cosconium Calidianum, qui nullo acumine, eam tamen verborum copiam, si quam habebat, praebebat populo —. Eam* quod dicitur, habet nihil quo referatur. Excidisse puto id, quod Cicero solet interponere; legendumque, *eam tamen verborum copiam, quamcumque habebat, si quam habebat.* Sic § 255, *quisquis est ille, si modo est aliquis:* et § 268, *quidquid habuit, quantumcumque fuit:* et § 321, *nostrum illud, quod erat, quantumcumque erat*, ubi ex nonnullis libris exciderat *quod erat.*

LXXIII, 257. Post illam obiectionem: *at plus interfuit* —, respondet: *credo. Sed Atheniensium quoque plus interfuit* cet., in quibus perperam Schutzius deleverat *sed:* mutandum erat in *et*, sicut aliis locis, in illa forma respondendi, *et — quidem* ponitur, de quo post alios dixi ad Legg. p. 618.

LXXVII, 268. De L. Lentulo satis inepte dicitur: *vox canora, verba non horrida sane, ut plena esset animi et terroris oratio.* Nam istud, *animi et terroris*, coniunctum esse solet cum *horridis* verbis. Itaque, deleta negatione, sic legendum puto, *verba horrida sane, sed ut plena* —.

Contra, negandi particula exciderat supra in

his de Macro, cap. 67, 238: *non erat abundans, non inops tamen: non valde nitens, non plane horrida oratio: vox, gestus et omnis actio sine lepore: at in inveniendis componendisque rebus mira accuratio.* Apparet in postremis insignem laudem tribui Macro, in superioribus moderata aut mediocria reliqua in eo fuisse significari; id quod non est, nisi legamus *non sine lepore.*

LXXXII, 285. *Sin autem ieiunitatem — in Attico genere ponit, hoc recte duntaxat: sed quia sunt in Atticis alia meliora, videat, ne ignoret et gradus et dissimilitudines — Atticorum.* Quandoquidem verba *in Attico genere ponit* significant, istam politam ieiunitatem propriam esse Atticorum, et hoc ipsum a Cicerone probatur, parum apte monetur in Atticis *alia* esse *meliora.* Nihil enim nunc definire vult, e pluribus dicendi virtutibus quae sit reliquis aut praeferenda aut postponenda: *vim et varietatem* tantum Atticorum indicare vult. Quare explenda sententia videtur uno vocabulo, quod aliis quoque locis e codd. excidit, *alia aliis meliora.*

LXXXVI, 295. *Remove haec: nae ista dulcis oratio ita sit abiecta, ut eam adspicere nemo velit.* Necessario corrigendum *fit.* — Statim post, quum codd. habeant *quoniam nihil*

est melius, non fuerat corrigendum *quo nihil*, (quod nimis absolute dictum ridiculam efficeret Attici reprehensionem), sed *quo iam nihil.*

LXXXVIII, 301. Recte Ravius requirit *erant*, post verba *decem maiores*, probatque *comparabatur.* Sed praeterea, in quod Bernhardius quoque inciderat, legendum est *coeptus est; et quamquam* —.

LXXXIX, 307. *Eodem anno etiam Moloni Rhodio Romae dedimus operam et actori summo causarum et magistro.* Fuit hic annus u. c. 667, Octavio et Cinna Coss. Atqui infra § 312, *eodem tempore Moloni dedimus operam: dictatore enim Sulla legatus ad senatum de Rhodiorum praemiis venerat:* quae pertinent ad a. u. 673. Quid igitur? Bisne Romam venerat Molon? id, quod putabat Meyerus ad § 245. Credibile non est. Novi nonnullis partibus hunc libellum negligentius esse scriptum: sed talem incogitantiam non facile tribuam Ciceroni, potiusque illa superiora, nescio qua de causa, aliena manu interposita esse reliquis suspicor. Quo minus enim illo superiori anno Molonis disciplina usum esse Ciceronem credam, facit hoc, quod tum *totum se tradiderat* Philoni (§ 306): mox, *hoc tempore omni noctes et dies in omnium doctrinarum meditatione versabatur*, eratque cum

Diodoto Stoico. Et ista, *actori summo causarum et magistro*, conflata sunt ex § 316, ubi loco dicuntur, neque ipsa per se satis Latina sunt. Nam, ut *summum oratorem* dici constat, quoniam in eo nomine ars cogitatur, ita non tali adiectivo ornari *actor* potest, quoniam, quoties is appellatur, non *actionis* ipsa ars cogitatur, sed munus tantum agendarum causarum, quod opponitur vel scribendi (ut § 267) vel docendi muneri. Nam, quod supra § 221 Cn. Pomponius appellatur *fortis actor et vehemens*, non ad artem, sed ad animum refertur, ut apparet ex iis quae adiiciuntur, quaeque propria sunt artis: tum, quod § 237 de Censorino dicitur, *non invenustus actor*, ad naturae dotes pertinet, non ad studium quo actionis artificium perficiatur; (conf. § 272.) Neque hoc diligentiae est Tullianae, ut istud *et magistro* ita nude adiiciatur. Ne *actio* quidem *summa* appellari potest, quoniam pars est oratoriae facultatis, non ipsa virtus.

XCII, 319. *maxime in certamen veni.* Ravius requirit *maximum.*

XCIII, 319. *quid tamquam notandum — sit in Hortensio, breviter licet dicere.* Hic eadem correctio adhibenda, quam Madvigius adhibuit Pro Coel. 43, legendumque *libet.*

Ibid. 322. *nemo qui, breviter arguteque in-*

cluso adversario, laxaret iudicum animos. Non ferendum est *includere adversarium*, quod *irretire* dixisset. Corrigatur *illuso.*

XCV, 326. *saepe videbam quum irridentem, tum etiam irascentem et stomachantem Philippum.* Quum ista simul fieri non potuerint, vix admonitione indiget legendum esse *tum irridentem.*

Ibid. 327. De genere dicendi, quo Hortensius adolescens utebatur: *et certe, quod et ingenii quaedam forma lucebat, et exercitatione perfecta erat verborumque adstricta comprehensio, summam hominum admirationem excitabat.* Quid in his claudicaret, senserunt Schutzius, Meyerus et Bernhardius, nec sane acute defendit Ellendtius. Mihi videtur post *perfecta erat* excidisse *sententiarum concinnitas*, quam mox quoque de industria appellat, distinguitque a *vestitu orationis.*

VIII.

Quaeritur quo anno Demosthenes natus sit.

Attigi leviuscule hanc quaestionem supra IV. § 3. p. 153 sqq.: dixique tunc probari mihi Boeckhii computationem. Quum ista iam typis descripta erant, allatus est egregius Car. Georg. Boehneckii liber (*): in quo quum viderem omnem illam controversiam admirabili sagacitate et praeclara doctrinae copia et apparatu disceptari, operae pretium facturus videbar si, quae proxime cum Demosthenis anno natali definiendo cohaererent, ipse denuo explorarem, et eruditissimi viri rationes ponderarem, quibus Boeckhii sententiam evertere conatur.

(*) Forschungen auf dem Gebiete der Attischen Redner etc. von Karl. Georg Böhnecke. Berlin. 1843.

I. Igitur Boehneckius primum (p. 5—8) utriusque traditionis auctoritatem expendit. Secundum Dionysium Halic. Epist. ad Ammae. T. VI. p. 724. R. natus erat Demosthenes Ol. XCIX. 4, decimum septimum aetatis annum ingressus erat (ἦν ἐμβεβηκώς) archonte Timocrate, Ol. CIV. 1., et Androtioneam scripsit arch. Callistrato Ol. CVI. 2., quinque et viginti annos natus. Hinc distat Pseudo-Plutarchi, qui dicitur, ratio, ex qua natus Demosthenes perhibetur Ol. LXXXVIII. 4, arch. Dexitheo. Si quaeritur quos auctores istorum uterque secutus sit, de Dionysio demonstrat Boeckhius sola computatione eo pervenisse ut annum illum sic definiret: contra Boehneckius nullius quidem auctoritatem commemorari fatetur, sed cognovisse Dionysium Philochori Atthidem, unde rerum gestarum ordines ac tempora certo potuerit definire, in primis proelii apud Tamynas, cuius belli crebro fit in Midiana mentio, quum in eadem oratione declaret orator, quem annum aetatis agat: praeterea consuli a Dionysio solitos fuisse Vitarum scriptores. Sed, quod dicit neminem dubitaturum esse, quin in illis Vitarum voluminibus annus natalis definitus fuerit, hoc concedi non posse puto. Primum, si exstitisset eiusmodi una et constans auctoritas, quo modo fieri poterat ut tres diversae vulgarentur

traditiones, quas enumerat Clintonus F. H. p. 361. Krueg.? quumque iidem, qui Dionysio, fontes patuerint Pseudo-Plutarcho, quare hic p. 845. D. computatione uti, quam disertam auctoritatem sequi maluisset? Accedit quod haud iniuria dubitare licet, utrum eorum, qui ante Dionysium Vitas scripserunt, ea fuerit diligentia, ut, quod parum pertineret ad magnorum virorum famam ac virtutem, annum quoque natalem quaererent ac definirent. Si fuisset, mirum sane videatur necesse est nusquam similis accurationis exemplum deprehendi in Plutarchi Vitis. Contra, mortis tempus vere ad historiam pertinebat, neque hoc notare facile neglexerunt illi scriptores. Postremo, unde notitiam, quo anno quis natus esset, hausissent? Nullum esse poterat eius rei documentum praeter album (γραμματεῖον), in quod apud phratores parvuli inscribebantur: nec credibile est istas tabulas tanta cura servari solitas fuisse, ut eas centum annis post alii excuterent. Ita nihil reperio, quo Dionysii auctoritas ipsa per se firmetur, multo minus, quo postponatur Pseudo-Plutarchi auctoritas, qui fieri potest, inquit Boehneckius, ut alios scriptores secutus sit (p. 7): quod quid, quaeso, aliud est, nisi concedere minime certam et constantem auctoritatem antiquitus exstitisse? In hoc quoque offendo, quod

Pseudo-Plutarchum ex ipso refutari putat vir doctissimus; tradere enim (p. 847. B) Demosthenem vixisse vel sexaginta septem, vel septuaginta annos, qua ratione annum natalem vel in Ol. XCVIII. 1, vel in XCVII. 2 reiiciendum esse: atqui de anno mortis nullam dubitationem esse. Quoniam enim diserte hac in re τοὺς τὰ πλείω, et τοὺς τὰ ἐλάττω λέγοντας commemorat, hoc potius conficiendum erat, chronologicas istas quaestiones a Vitarum scriptoribus aut neglectas omnino, aut non disceptatas fuisse.

II. Deinde comprobare Dionysii auctoritatem aggreditur Boehneckius ex Demosthenis Midiana (p. 8—51.) Et sane recte putat rem confici, si demonstratum sit vere Dionysium posuisse Midianam conscriptam esse Arch. Callimacho Ol. CVII. 4.

Argumenta, quibus demonstrat bellum Euboicum secundum, propter Plutarchum Eretriensem susceptum, non Ol. CVI. 3, ut Boeckhius voluerat, sed Ol. CVII. 3 gestum esse, numero sex explicantur. Horum primum est, non missuros fuisse Athenienses Phocionem exercitus imperatorem, nisi aliis rebus occupati fuissent Chares et Charidemus: atqui, iam ante initium belli Euboici Charetem missum fuisse auxilio Olynthiis, Charidemum in Hellesponto abfuisse. Argumentatio haec quum ipsa per se infirma est, tum

neglectum noc est, Charetem Arch. Callimacho demum, i. e. Ol. CVII. 4, Olynthum missum esse (teste Philochoro apud Dionys. Halic. ibid. p. 734. sq.), bellum autem Euboicum tribui anno 3tio eiusdem Ol.

Secundum argumentum petitur e Dinarcho Contr. Demosth. p. 34 R., quum dicit in illo bello Taurosthenem Chalcidensem τῆς Εὐβοίας ὅλης μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ Καλλίου προδότην Φιλίππῳ γεγενημένον· nam hinc constare multum iam tum potuisse Philippum in Euboea; atqui credibile non esse Euboeenses sese dedidisse Philippo Ol. CVI. 3, qui ante septem modo annos ad regnum pervenisset, quum ipsi quatuor annis ante per Athenienses a Thebanorum dominatu liberati fuissent. Ne huius quidem argumentationis validum robur est. Primum celebrata per omnem illam historiam Euboeensium perfidia erat. Deinde non opus est, ut tantas Philippi opes in Euboea fuisse statuamus, qui neque ipse concitaverit illos motus, neque copias miserit suo consilio; sed Callias, collecto ex universa insula exercitu, καὶ παρὰ Φιλίππου δύναμιν προσμεταπεμψάμενος, sic demum Atheniensium copias adortus est: Aeschines Ctesiph. p. 481.

Ex eodem genere est tertium argumentum. Contendit enim Boehneckius, Philippum Ol. CVI. 3

bello Thessalico contra Lycophronem et Pheras, et contra Phocenses nimis impeditum fuisse, quam ut de auxiliis in Euboeam mittendis cogitare potuerit: sed multo aequius esse ut statuatur, quatuor annis post a Philippo Euboeenses contra Athenienses concitatos esse, quum ipse Chalcidicas urbes aggressus esset, hisque ab Atheniensibus auxilia missa essent. Contra mihi videtur, quum istud Calliae consilium subito et ex tempore ortum esset, multo facilius e Thessalia vicina auxilia exspectari potuisse, quam e Chalcidice. Neque etiam Philippi huius belli suscitandi consilium fuerat, sed Calliae.

Quartum argumentum est: quoniam inde ab Ol. CVI. 1 Phocenses, sociis utentes Atheniensibus, contra Philippum bellabant, mirum esset si violata illa societate copias conductitias in Euboeam misissent, quae contra Athenienses pugnarent. Perperam interpretari mihi videtur verba Aeschinis l. c., ubi de Taurosthene, Calliae fratre, dicitur, τοὺς Φωκικοὺς ξένους διαβιβάσας. Sed non erant isti Phocenses, sed mercede conducti milites, qui ut satis intelligitur ex alio loco Aeschinis F. L. p. 330. 26, unam mercedem sequebantur, tantoque facilius Taurostheni eadem spe morem gerere potuerunt, quod ante Ol. CVI. 4 nondum a Philippo superati fuerant, de qua clade

Demosth. F. L. p. 443. 26 ita loquitur, (τοὺς τῶν Φωκέων ξένους διέφθειρε), ut vix credibile sit postea ullas copias mercenarias Phocensium fuisse.

Levius etiam quintum argumentum est; vix credibile esse expeditionem illam in Euboeam, quae magnorum sumtuum esset, suscipi potuisse anno ante illam in Pylas (Ol. CVI. 4) in qua ducenta talenta expensa fuerint. Difficile quippe est definire quantum Athenienses in eo genere perferre potuerint, qui, praesertim inde ab initio belli Amphipolitani, saepe tot diversis oris praesto fuerint. Quod autem ad illas ducentorum talentorum expensas attinet, non negligendum est Demosthenem F. L. p. 367 hoc ambitiose praedicare, et computare expensas privatas τῶν ςρατευσαμένων.

Sextum argumentum inde petitur, quod Ol. CVII. 4 Euboeensium legati de pace Athenas venerunt; id quod commodissime factum putat Boehneckius anno post susceptam per Phocionem expeditionem: nam, si haec expeditio in Ol. CVI. 3 retrahatur, statuendum esse bellum per quinque annos gestum esse, id quod verisimile non sit: propterea, secundum hoc bellum Euboicum gestum videri Ol. CVII. 3. Non distinxisse videtur vir doctissimus hoc bellum, quod cum

Chalcidensibus et Callia gerebatur, a reliquo, quod vel continuo, vel subinde in Euboea adversus Philippi opes gerendum erat. Illud quidem statim post proelium ad Tamynas compositum fuisse videtur: siquidem et Aeschines Ctesiph. p. 482 eam pacem, ex Atheniensium beneficio et liberalitate, Calliae concessam esse significat (τοιαῦτα πεπονθότες πάλιν διελύσασθε πρὸς αὐτοὺς, nempe πρὸς τοὺς Χαλκιδεῖς), neque post illam victoriam, rebusque compositis statim domum cum exercitu navigasset Phocion, sicut diserte narrat Plutarchus Phoc. Cap. 15. init., si bellum istud continuandum fuisset. Nam, quae apud Plutarchum de Molosso narrantur (ὁ γὰρ μετ' ἐκεῖνον ἐλθὼν ἐπὶ τὰ πράγματα); multum abest ut necessario ad eiusdem belli continuationem referantur: neque, si per Molossi captivitatem finitum esset illud bellum, potuisset hanc pacem Aeschines affirmare laudi fuisse Atheniensibus.

Postremum multo efficacissimum esse argumentum hoc dicit Boehneckius: Plutarchus Eretriae tyrannus per hanc Phocionis expeditionem expulsus est, et Eretrienses dein, usque ad Ol. CIX. 3 (quo anno tres tyranni a Philippo constituti sunt) populari imperio usi sunt: atqui Demosthenes Aristocr. p. 661. 10 commemorat Menestratum Eretriae dynastam, habitaque illa oratio est Ol.

CVII. 1: ergo et Plutarchus, et Phocionis expeditio, reiiciendi sunt in Ol. CVII. 3. — Huius argumenti vis sita est in Dionysii Halic. auctoritate, qui Aristocrateam isti anno 1 Ol. CVII. assignat, arch. Aristodemo. Puto de hac computatione dubitari posse. De computationibus Dionysii verbo monui supra p. 183. De Aristocratea aliquanto difficilior controversia est, et fortasse infra retractanda: sed certe ea, quae scripsit orator p. 684. 15 (οὐ δὴ δεῖ μνησικακεῖν· οὐδὲ γὰρ Λακεδαιμονίους —, οὐδὲ Θηβαίους, οὐδ' Εὐβοέας τὰ τελευταῖα νυνί) manifesto pertinent ad primam expeditionem in Euboeam Ol. CV. 3: conf. Aeschines Ctesiph. p. 479. sq. F. L. p. 327, et intelligi arbitror non sic (τὰ τελευταῖα νυνί) locuturum fuisse oratorem, si paulo ante nova Euboeensium perfidia Atheniensium beneficium evertisset, et nunc ipsum hi satis gravi bello cum iis conflictarentur.

Sequitur disputatio de bello Olynthiaco, eodem tempore, quo alterum illud Euboicum, gesto, ut ex Midiana constat: neque iniuria existimavit Boehneckius huius belli definitionem arctissime coniunctam esse cum notatione causae Midianae. Sed magna dubitatio est, quale bellum, aut qualis βοήθεια εἰς Ὄλυνθον sit intelligenda. Quum autem in Orat. Contr. Neaeram p. 1346 utrius-

que belli coniuncta mentio fiat, ex temporum illorum descriptione conficit, intelligendum esse bellum, quo Athenienses auxilia tulerunt Olynthiis ad tuendas urbes Chalcidicas; itaque intelligendum esse Ol. CVII. 3.

Non equidem repudio orationis contra Neaeram auctoritatem: sed, quum eam orationem satis longo intervallo post illa tempora habitam esse demonstrari possit, ipsum καιρὸν summatim tantum significari puto, ut in maius augeatur Apollodori beneficium, qui psephisma tulisset de pecunia theatrali: neque etiam temporum ordinem servat, quippe prius fuisset Olynthiacum, tum Euboicum bellum memorandum. Omnino iudicium de illorum temporum gravitate ex post facto, ut aiunt, compositum est. Tum, quod rursus (p. 25) utitur Boehneckius computatione Dionysii in Aristocrateae anno definiendo, atque hoc modo demonstrat Olynthios Ol. CVI, 3 nondum socios fuisse Atheniensium, itaque probari non posse ut tum iam istuc auxilia missa fuerint; — haec igitur argumentatio caret demonstratione. Quod autem ex Lemni, Imbri, Scyri et Chersonnesi mentione conficit, bellum istud Olynthiacum non multum ante ea tempora ponendum esse, quibus ista aggredi minabatur Philippus; iterum dico totum hoc diu post scriptum esse, ex even-

tibus qui tum cogniti essent, sed cum ipsius belli principiis non arctissime cohaererent, istorumque locorum (Lemni, Imbri. cet.) mentionem tamquam tralatitiam esse apud Oratores, sicut apud Aeschinem F. L. p. 251.

Ne hoc quidem concedere possum viro doctissimo, Apollodori psephisma de pecunia theatrali latum esse post Olynthiacam tertiam. Nam, ne alia persequar, verba Demosthenis p. 31. *τίς, εἰπὼν τὰ βέλτιςα ὑπὲρ ὑμῶν, ὑφ' ὑμῶν ἀπολέσθαι βουλήσεται*, ad ipsam Apollodori calamitatem pertinere mihi videntur.

Sequitur docta in primis et ingeniosa digressio de Theopompi Philippicis, quorum fragmentis e Lib. XX usque ad XXX componendis ostenditur, bellum Euboicum gestum esse postquam Charidemus cum exercitu et classe ad Chalcidicas urbes a Philippo defendendas missus esset. Sed, quae ex Lib. XXIV memorantur, pertinent sane ad Euboeam, nec tamen video necessario intelligendam esse ipsam Phocionis expeditionem et proelium ad Tamynas, quae anno etiam Charidemi *βοήθειαν* antecesserint, ex Boehneckii computatione, de qua modo supra p. 343. sq. monui. Praeterea fragm. apud Stephanum Byz. v. *Δύςος*. perperam credo explicari a viro doctissimo. Verba sunt: *ἀποςήσας δὲ τοὺς ἐν αὐτῇ περιοικίᾳ τῶν*

Ἐρετριέων, ἐστράτευσεν ἐπὶ πόλιν Δύστον. Subiectum, inquit, verbi ἐστράτευσεν est fortasse Phocion: qui quum Eretriensibus auxilio venisset, non credibile est ab iis vicinos ἀποστῆσαι. Contra, suspicor in illo libro Theopompum ea persecutum esse, quae post Phocionis illam victoriam et discessum ex insula Callias molitus est adversus socios Atheniensium et civitates δημοκρατουμένας.

Hanc digressionem excipit peculiaris disquisitio de anno expeditionis Euboicae, tum de anno scriptae Midianae (p. 42. sqq.) Quod minime negligendum est, ipse Boehneckius confitetur (p. 43) ipsum Philochorum non ubique temporum ordines accurate servasse: quod si verum est, apparet quanto melius tutiusque ipsorum veterum oratorum monumenta secuturi simus, quam talium historicorum fragmenta.

Primum argumentum, quo demonstretur Euboicam expeditionem post Ol. CVII. 2. susceptam esse, inde petitur, quod in oratione Demosthenis Pro Phormione p. 958. sqq. nihil dicatur de illa Apollodori calamitate propter psephisma de pecunia theatrali; atqui illam causam actam esse Ol. CVII. 2: itaque psephisma istud necessario postea latum fuisse. Respondeo, istic p. 960. fin. ea tantum commemorari potuisse, quae dedecori essent Apollodoro, i. e. actiones et sy-

cophantias, minimeque huc pertinuisse psephisma, quod ab omnibus bonis laudatum fuisset, sed in cuius iudicio eum inimicorum calumnia evertisset.

Secundum argumentum eo nititur, quod Euboicae expeditionis nulla fit in Olynthiacis mentio; igitur necessario has prius dictas esse. Non agnosco hoc consequens esse. Illustri sane victoria Phocion copias obsessas expediverat, et Eretriensium civitatem ordinaverat: sed multum aberat, ut haec una expeditio totius insulae res ita composuisset, ut firma maneret Atheniensibus societas: contra ex multis indiciis statuere possumus Calliam et Chalcidenses, clam subornatos a Philippo, Atheniensium opes in Euboea debilitare ac penitus frangere studuisse: eoque pertinebat Philippi ad Euboeenses epistola, de qua Philipp. I. p. 51. Satis hoc erat: ipsam expeditionem, quam etiam dissuasisset ipse Demosthenes, cur nunc memoraret, nulla causa erat, nec puto verum vidisse Scholiastam, qui ad Philipp. I. p. 44. fin. ad verba εἰς Εὔβοιαν annotavit, πρὸ τριῶν ἐτῶν, intelligens secundam expeditionem, quum necessario Timothei expeditio intelligenda sit.

Tertium argumentum, in quo dicitur Phocionem Ol. CVII. 2 bello occupatum fuisse quod in Cypro gerebatur, non evertit alteram opinio-

nem, eum Ol. CVI. 3. expeditioni Euboicae praefuisse.

Sequuntur (p. 45. sqq.) alia, quibus suam sententiam confirmare studet vir doctissimus. Istud de anno Nemeorum quare minus ad praesentem quaestionem pertineat, dixi supra p. 178. sq. Neque hoc attendendum esse puto, quo ostenditur, si Demosthenes senator fuerit Ol. CVIII. 2, eum anno ante senatorem esse non potuisse.

Tanto diligentius considerandus est locus Demosthenis Adv. Boeotum de Nomine p. 999. Ibi proelii apud Tamynas ut nuper facti mentio fit: atqui oratio scripta est, secundum Dionysium De Dinarcho T. V. p. 656, *κατὰ Θέσσαλον ἢ Ἀπολλόδωρον*, i. e. Ol. CVII. 2. aut 3: igitur, inquit Boehneckius, alteruter istorum annorum sumendus est: tum in annotatione subiicit, alteram temporis definitionem apud Dionysium (ibid. p. 665) ortam esse ex confusione, quippe quum cuperet temporis notam in ipsa oratione monstrare; sed neque expeditionem ad Tamynas, neque eam ad Pylas Ol. CVIII. anno 1 convenire. Haec non intelligere me fateor. Dionysii verba l. l. haec sunt: »qui orationem adv. Boeotum de »nomine Demostheni auferunt et Dinarcho tri»buunt, *τῷ χρόνῳ γ᾽ οὖν ἐπιδειχθεῖεν ἂν ψευδόμενοι. μέμνηται γὰρ ὡς νεωςὶ τῆς εἰς Πύλας ἐξόδου*

γεγενημένης· ἡ δ' εἰς Πύλας 'Αθηναίων ἔξοδος ἐπὶ Θουμήδου ἄρχοντος ἐγένετο. In his sane corruptum Θουμήδου Sylburgius corrigebat Θεοφίλου· sed in promtu erat emendare Θουδήμου· neque id latuit Boehneckium, cuius videnda est annotatio 1 ad p. 42. Scilicet e talibus locis agnoscendum erat, nihil certo definitum aut constanti auctoritate constitutum tradere in hoc genere Dionysium, sed sola computandi probabilitate et inconstantia uti: qua de re qui dubitet, quoniam supra universe affirmavi, relegat quaeso quatuor priora capita Iudicii de Dinarcho. Igitur si, de quo non dubito, negligere licet Dionysii auctoritatem, ipsa Adv. Boeotum oratio nullum temporis, quo scripta sit, indicium continet. Neque enim quod dicitur καὶ γὰρ νῦν, evincit ipso illo tempore susceptae expeditionis dictam esse illam causam, et aliquanto post demum dictam esse arguunt haec, in quibus institii mentio fit, quod illo tempore fuerit, εἰ μισθὸς ἐπορίσθη τοῖς δικαστηρίοις, εἰσῆγον ἄν με δηλονότι.

In definiendo anno scriptae Midianae non attingit veram controversiam Boehneckius, recte ceteroquin verborum τρίτον ἔτος τουτί eam interpretationem sequens, quam supra p. 163 probavi.

Postremo (p. 51.) adiicitur Iulii Firmici in Astronomico auctoritas; quam et universe repu-

dio, neque ista aetate Demosthenis annum, nec diem natalem cognitum fuisse credo.

III. Tertia disputatio tribuitur confirmandae Dionysii sententiae ex reliquis Demosthenis Orationibus, praecipue ex actionibus Contra Aphobum et Contra Onetorem (p. 52—80.) Facilis esse videtur viro doctissimo demonstratio ex illis tutelae actionibus, Demosthenem natum esse Ol. XCIX. 4. Actio, inquit, instituta est arch. Timocrate, Ol. CIV. 1: atqui in tutela fuit decem annos, patre amisso quum ipse septennis esset; igitur arch. Timocrate decimum septimum agebat annum; unde conficitur id, quod demonstrare volui.

Nihil in hac argumentatione sanum aut rectum est. Quod antequam ostendamus, prius alia quaedam disputatio Boehneckii exploranda est, cuius magnum in omni hac controversia momentum est. Quaeritur enim utrum δοκιμασία sive ἐγγραφὴ εἰς ἄνδρας eadem sit, atque ἐγγραφὴ εἰς ληξιαρχικὸν γραμματεῖον, an et re et tempore diversae fuerint. Posterius amplectitur Boehneckius, contenditque (quemadmodum disputationis suae summas contrahit p. 94. 9. 10. 11.) δοκιμασίαν aut ἐγγραφὴν εἰς ἄνδρας institui solitam fuisse in pupillis anno decimo sexto aetatis; tum, in orbis, statim secutam esse tutelae liberationem, ut sui

iuris ac tutelae fierent; postremo, ἐγγραφὴν εἰς ληξιαρχικὸν γραμματεῖον ab illa diversam fuisse, et fieri solitam post finem tutelae. Ubi haec de industria demonstrat (p. 53—66), satis inconstanter utitur veterum Grammaticorum testimoniis, quippe quorum auctoritatem modo probat, modo reiicit, prout disputationis suae consilio aptum est. Omnino de toto illo genere sic sentio, Grammaticorum per se (nisi diserte veterem scriptorem citant, cuius verbis confirment id, quod tradant) perexiguam esse auctoritatem in his et similibus rebus, quoniam interpretandi tantum munere funguntur, eaque ipsa interpretatio minime certae ac traditae doctrinae nititur, (si enim ita esset, non tam inter se discreparent), sed gratuita plerumque est et vacillans: multoque tutius esse ipsa veterum monumenta diligentissime excutere, in primisque attendere quid analogia vel requirat vel suadeat.

Extra controversiam est, pupillos per ipsam ἐγγραφὴν εἰς ἄνδρας sui iuris esse factos, bonorumque suorum curam suscepisse: itaque in patris Demosthenis testamento, quae tutoribus fruenda concedebantur, tamdiu concedebantur ἕως ἂν αὐτὸς ἀνὴρ εἶναι δοκιμασθείη· Contr. Aphob. I. p. 814. 19. De anno aetatis, in quem haec ἐγγραφὴ inciderit, nil definitur. Ideo operae

pretium fecit Boehneckius quaerere de locutione ἐπιδιετὲς ἡβῆσαι. Videamus veterum ipsorum locos. Apud Aeschinem Ctesiph. p. 513 (ὁ κήρυξ ἀνεῖπε, Δελφῶν ὅσοι ἐπιδιετὲς ἡβῶσι καὶ δούλους καὶ ἐλευθέρους) necessario annus militaris intelligendus est, qui Athenis (fortasse etiam in aliis Graeciae civitatibus) decimus octavus aetatis erat. Apud Demosthenem Contr. Steph. II. p. 1135 ex lege memoratur, si quis ἐξ ἐπικλήρου natus sit, ἅμα καὶ ἡβήσῃ ἐπιδιετὲς κρατεῖν τῶν χρημάτων, τὸν δὲ σῖτον μετρεῖν τῇ μητρί· quam legem ita interpretatur orator, τοὺς παῖδας ἡβήσαντας κυρίους εἶναι τῆς μητρός. Conf. Meier. Lit. Att. III. p. 469. Atqui, κύριον esse mulieris vix concedi potuisse videtur, nisi ei, qui annum certe decimum octavum explevisset. Tum, in alia lege, ibid. p. 1136, statuebatur, quum genuinos liberos haberet, quod pater testatus esset, id ratum esse, ἐὰν ἀποθάνωσιν οἱ υἱεῖς πρὶν ἐπιδιετὲς ἡβᾶν· unde conficitur, hereditatem auferri non potuisse iis, qui sui iuris ac tutelae essent. Prioris illius legis altera auctoritas est in fragmento Hyperidis apud Harpocrat. v. ἐπιδιετὲς ἡβῆσαι. (Perperam credunt Interpretes, in quibus et Valesius, et nunc Boehneckius, reprehendi ab Harpocratione Didymum, leguntque ἀλλ' οἱ ἔφηβοι —. Esset haec oppositio, tamquam si de alia re expositurus

esset, non reprehensio praecedentium: et Harpocration, quum Didymum reprehendit, aut ab eo dissentit, multum diversa forma orationis utitur, veluti V. *Γαμηλία*, et *Δεκατεύειν*. et *Ἔνθρυπτα*. et *Θύσιον*. et *Πανδαισία*. et *Λυκιουργεῖς*. et *Πωλῶσι*. et *Περίστοιχοι*. et *Πυθαεία*. et *Φαρμακός*. Sed neque *ἄλλοι* rectum est: et, si reprehendit Didymum, credam potius Harpocrationem scripsisse *μᾶλλον δὲ Ἔφηβοι* —.) Quidquid sit, minus curandum est quid putaverit Grammaticus, quam quid ex his Hyperidis verbis sit efficiendum: *ἐπειδὴ δὲ ἐνεγράφην ἐγώ, καὶ ὁ νόμος ἀποδέδωκε τὴν κομιδὴν τῶν καταλειφθέντων τῇ μητρί, ὅς κελεύει κυρίους εἶναι τῆς ἐπικλήρου καὶ τῆς οὐσίας ἁπάσης τοὺς παῖδας, ἐπειδὰν ἐπιδιετὲς ἡβῶσιν*. Nihil hinc apparet nisi *ἐγγραφήν*, quaecumque tandem illa fuerit, coniunctam fuisse cum tutelae liberatione; annus ipse incertus relinquitur. Verum nihil amplius de illa *ἐγγραφῇ* dubitare nos sinit Lycurgus Leocr. p. 189. ubi mentio fit celebratissimi istius iurisiurandi, *ὃν* (*ὅρκον*) *ὀμνύουσι πάντες οἱ πολῖται ἐπειδὰν εἰς τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον ἐγγραφῶσι καὶ ἔφηβοι γένωνται*. Neque enim quis contendat diversos esse *τοὺς ἐπιδιετὲς ἡβῶντας* ab ipsis ephebis. Tamen contendit Boeckhius *δοκιμασίαν εἰς ἄνδρας* diversam esse ab *ἐγγραφῇ εἰς τὸ ληξ. γραμμ.*, et illam hac priorem

esse: nusquam enim, inquit, inter se aequiparantur. - In qua argumentatione ideo fallitur vir doctissimus, quod, si eaedem illae inscriptiones fuerint, et de una eademque re duplex valuerit locutio, iniquum est postulare ut a quoquam scriptore simul commemorentur. Nam quae excitat de quadam παίδων δοκιμασίᾳ (p. 61), non debebat dubitare quin ea referenda esset ad palaestrae disciplinam, prorsus diversam a civitatis disciplina, qua ius civitatis plenum certo aetatis anno concedebatur (*). Abutitur etiam Isocratis loco, Areopag. p. 147. a, ubi illud εἰς ἄνδρας δοκιμασθῆναι manifesto eorum est, qui pleno iure cives facti erant; et vix credibile est quo modo alterum locum Isocratis de Bigis p. 352. c. non agnoverit pertinere ad eos, qui res gerant in civitate. Reliqui, qui indicantur, loci vel Demosthenis, vel Lysiae, nihil quidquam demonstrant, ne is quidem ex Demosth. F. L. p. 412, quo nihil aliud indicatur, quam Phrynonem filium suum ad Philippum misisse quum ἀγένειος esset, necdum ἔφηβος. Contra, ἄνδρα εἶναι δοκιμασθῆναι apud Lysiam Evandr. p. 804, necessario ad res gerendas in civitate refertur, id quod

(*) Conf. *Roulez*, Mémoire pour servir à expliquer les peintures d'une coupe de Vulci. pag. 5. Bruxel. 1842 (T. XVI. des Mémoires de l'Acad. Roy. de Bruxelles.)

minime convenit pueris quindecim aut sedecim annorum.

Apparet, opinor, et unam tantum esse ἐγγραφὴν, et eamdem coniunctam esse cum eo, quod dicebant ἐπιδιετὲς ἡβῆσαι. Sed locum Aeschinis F. L. p. 329, quamquam satis diserte confirmat hoc, ἐφηβίαν legitimam numeratam fuisse ab anno militari, i. e. decimo octavo aetatis (ἐκ παίδων ἀπαλλαγεὶς περίπολος ἐγενόμην δύο ἔτη, καὶ τούτων τοὺς συνεφήβους μάρτυρας παρέξομαι), mira argumentatione superare conatur Boehneckius (p. 63.) Contendit enim, quae proprie ἐφηβία esset, praecedere illam περιπόλων aetatem; nec tamen argumentis utitur, quibus hoc obtineat. Nam, quod Boeckhium citat, Corp. Inscr. I. p. 305. b., is agit de ephebis militaribus tantum, neque hos diversos esse a περιπόλοις dicit, sed hoc περιπόλων vocabulum latius patere, nec qui ita appellentur in genere, continuo esse ephebos. Sed vellem tenuisset Boehneckius (id quod facile erat a Boeckhio accipere) quantum interesset inter ephebos gymnasticos, et ephebos civiles: neque cum ἐγγραφῇ εἰς ληξιαρχικὸν γραμματεῖον, confundendam esse eam ἐγγραφὴν, quum puer nomen in gymnasio profitetur, quae una intelligitur in Axiocho p. 366. fin. Teletem apud Stobae. XCVIII. 72, prudentius fecisset si neglexisset,

nihil quippe curantem Atheniensium instituta ac disciplinam. Nempe, antequam in epheborum civilium ordinem et in ληξιαρχ. γραμματεῖον relati essent, (quod tum ex illo Aeschinis loco, tum aliunde demonstrari potest), παῖδες et erant, et dicebantur: conf. Aeschines Timarch. p. 43. sq. Quod autem Artemidori apud Suidam v. Ἔφηβοι notissimum testimonium excitatur, vehementer vereor ne non pertineat ad Atticorum instituta, sed ad Romanorum; si quidem, ubi opportune hoc commemorari potuisset de cohibendo brachio, apud Aeschinem ibid. p. 52. sq., ne vestigium quidem istius in pueris aut ephebis moris deprehenditur.

Impeditam tamen hanc quaestionem reddit auctoritas Aristotelis, cuius fragmentum servavit Harpocration v. Περίπολοι. et apposuit Boehneckius (p. 64. not. 3); quippe Grammaticus ipse observat pugnare haec cum Aeschinis auctoritate, ex qua περιπόλων militia duorum annorum esset, quum Aristoteles significet unum tantum annum in περιπόλοις fuisse ephebos: itaque suspicatur Aeschinem gloriandi causa hoc de se memorasse, per biennium meruisse ἐν περιπόλοις. Non spernenda mihi videtur haec Grammatici suspicio. Sed, quod Aristoteles appellat τὸν δεύτερον ἐνιαυτὸν, vix credam alio pertinere nisi ad biennii

spatium ephebiae, cuius alterum tantum annum, i. e. undevicesimum aetatis, ephebi ἐν περιπόλοις fuerint, accepta a populo πανοπλίᾳ. Haec egregie, ut opinor, conspirarent cum illa lege, per quam τοὺς δοκιμασθέντας ἐνιαυτὸν ἀφῆκεν ἡ πόλις ἁπασῶν τῶν λειτουργιῶν (Lysias Diogit. p. 907.), qua liturgiarnm appellatione militiae qnoque onus intelligi, non novum est. In Aristotelis verbis praeterea obscurum est, quid sit ἀποδεξάμενοι τῷ δήμῳ περὶ τὰς τάξεις, de ipsis ephebis dictum. Si corrigatur ἀποδειξάμενοι, interpretari, credo, licebit, *postquam populo probaverint se peritos esse eorum quae ad militarem aciem pertinent*, ut in his ante exerceri eos solitum fuerit.

Nullum adhuc in ipsorum veterum monumentis (nam Grammatici non nisi interpretes sunt) deprehendi praesidium, quo Boehneckii sententia nitatur, aliam fuisse ἐγγραφὴν εἰς ἄνδρας, aliam εἰς ληξιαρχ. γραμματεῖον. Neque sensit vir doctissimus, quem citat Aeschinis locnm Timarch. p. 121 (p. 65. not. 3.), plane suae sententiae contrarium esse. Sermo est de Timarcho, quo modo se gessisset quamdin in tutorum tutela fnisset: tnm adiicitur, ἐπειδὴ δ' ἐνεγράφη εἰς τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον, καὶ κύριος ἐγένετο τῆς οὐσίας· qnae quid aliud indicant, nisi unam eamdemque fuisse ἐγγραφὴν per quam pupillus in

demi tabulas referretur, et bonorum liberam administrationem susciperet?

Pergamus ad ea quae deinceps (p. 66. sqq.) disputantur: nam levia praetermittam, veluti quod (p. 65. not. 5) Aeschinis locum F. L. p. 316, ita interpretatur, ut *δι'ὅν* non, ut oportebat, *propter quem*, sed *per quem* esse dicat. Tum hoc quoque tollit Boehneckii dubitationem, de anno decimo octavo aetatis, primum militarem fuisse (p. 64. not. 2. fin), quod Aristotelis auctoritate, ut videtur, traditur annos militares fuisse duo et quadraginta, et pertinuisse usque ad annum sexagesimum aetatis, itaque initium habuisse ab anno decimo octavo, demto tamen primo excusatae militiae anno: conf. Harpocration. v. *Ἐπώνυμοι.* et *Στρατεία ἐν τοῖς ἐπωνύμοις.* ex quo postremo loco fortasse conficiendum, *ἐγγράφους*, qui in inscript. apud Boeckhium C. I. Tom. I. n°. 171 memorantur, simpliciter ephebos intelligendos esse.

Apponuntur (p. 68. sq.) duo loci Demosthenis, Adv. Onetor. p. 868. Hinc apparet, quum Aphobus illas nuptias cum sorore Onetoris contraxerit mensi sciraphorione, i. e. extremo arch. Polyzeli, Ol. CIII. 2, ac Demosthenes *εὐθὺς μετὰ τοὺς γάμους δοκιμασθεὶς* rationes tutelae in iudicio repetiverit, *ἐγγραφὴν* illam factam esse arch.

Cephisodoro, Ol. CIII. 3. Quoniam autem supra evertimus, nisi fallor, illam de priori quadam ἐγγραφῇ sententiam, quae in annum decimum quintum aut sextum incidisset, cadit etiam Boehneckii computatio, comprobari sic Dionysii rationes, qui Demosthenis annum natalem ponit Ol. XCIX. 4. (Obiter ex ipso illo Demosthenis loco, contra Boehneckium p. 66. demonstrari potest, non *semper* ab eo temporum intervalla sic numerari, ut et terminus a quo, et terminus ad quem in computatione comprehendantur; nam inter nuptias Aphobi, Ol. CIII. 2, et divortium Ol. CIV. 1, duorum tantum annorum spatium numerat, p. 867. fin.)

Gravius hoc est, quod de prima Demosthenis trierarchia traditur. Sumit Boehneckius (p. 69. not. 2.) hac liturgia functum esse Demosthenem Ol. CIV. 1, eoque refert verba ex Midiana p. 564, ἐτριηράρχουν εὐθὺς ἐκ παίδων ἐξελθών· non reputans primum, illud εὐθὺς ἐκ παίδων ideo non esse premendum, quoniam in contentione cum Midiae socordia in eo negotio dicitur; tum Imperfectum ἐτριηράρχουν intelligendum esse de toto tamquam cursu illorum onerum, non de una aut prima trierarchia, quod ἐτριηράρχησα dicendum fuisset. Verumtamen ex alio Midianae loco p. 539, et ex Contr. Aphob. II. p. 840, sq. constat,

eodem anno, quo δίκας ἔλαχε contra tutores, Demosthenem, spreta ἀντιδόσει, trierarchiae onere functum esse: et his utitur Boehneckius ut demonstret tunc septendecim annorum fuisse Demosthenem (conf. p. 78.) Si enim, inquit, natus esset Ol. XCVIII. 4, isto anno vicesimum primum annum egisset, nec se ipse orator in Midiana μειρακύλλιον appellare potuisset, neque νέον κομιδῇ, neque εὐθὺς ἐκ παίδων ἐξελθόντα. Mihi istae locutiones semper oratoriae esse visae sunt, comparatae ad odium Midiae excitandum. Annos autem alio modo esse computandos, ex ipsius civitatis Atheniensium institutis, post demonstrabo, quum reliqua Boehneckii exploravero.

Alia deinde computatione hac utitur (p. 70. sq.) Si Dionysium sequimur, ut Ol. XCIX. 4 natus sit Demosthenes, pater mortuus est Ol. CI. 3: quod ideo probandum, quoniam altera Timothei in Corcyram expeditio eo ipso anno decreta fuit, in qua Aphobus trierarcha fuit (conf. Contr. Aphob. I. p. 817. 27:) neque enim, si altera computatio admittatur, ut Ol. XCVIII. 4. natus sit, itaque intelligenda sit prior Timothei expeditio, quae Ol. CI. 1. suscepta est, probari posse ut, inter patrem mortuum Ol. C. 3, et illam trierarchiam integrum biennium interfuerit. Fateor nullo modo mihi persuasum esse ut hoc

postremum tam improbabile esse putem: neque ex Demosthenis verbis (ἐπειδὴ εἶχεν, ἐκπλεῖν μέλλων εἰς Κέρκυραν) necessario conficiendum est, istud statim post initium tutelae factum esse. Accedit, quod, quum altera illa in Corcyram expeditio negligentia Timothei vicissitudinibus et moris quibusdam fuerit impedita, aequius est ut de priori expeditione cogitemus, si quidem in altera trierarchorum etiam voluntas defuisse videtur: Xenoph. Hellen. VI, 2, 7. sq. Suspicio nostra egregie confirmatur iis, quae usurpanda sunt in sequentis argumentationis exploratione.

Nam (p. 72, sq.) primum contendit Boehneckius, quamquam diserte tradat orator tutelam decem annorum fuisse, (Contr. Aphob. I. p. 815) tamen non amplius quam novem annos numerandos esse, primo et extremo computatis: tum hoc efficit inde, quod, quum alteram de duabus, quas pater Demosthenis reliquisset, officinis tutores ita servassent, ut duo priores annos administratio penes Aphobum, septem autem sequentes penes Therippidem fuerit, sic novem, non decem efficiuntur anni tutelae: (Contr. Aphob. I. p. 819. 12.) Porro, quum praeter triginta minas, qui reditus officinae esset duorum illorum annorum, istius pecuniae usuras petat Demosthenes octo annorum, non everti illam com-

putationem defendit, siquidem, si primus et secundus annus excipiantur, inde usque ad Ol. CIV. 1, quo actio haec in iudicium deducta est, vere octo anni fuerint: nam, (ut supra vidimus,) actionem institutam esse biennio postquam δοκιμασθεὶς esset Demosthenes. Quod autem hanc octo annorum explicationem evertit, fefellit virum doctissimum. Nam in iis, quae statim finita tutela Demostheni tradiderant tutores, quatuordecim ἀνδράποδα erant (Contr. Aphob. I. p. 815. init.): itaque, quum redditum esset hoc ἐργαστήριον μαχαιροποιῶν (de altero ἐργαστηρίῳ, deque servis κλινοποιοῖς non redditis, de industria conqueritur orator p. 820. fin. sq.), ab illo inde tempore usuras petere nullo modo poterat. Utrum eorum, quae reddita non essent, usurae ex lege deberentur eius quoque intervalli, quod effluxisset ante institutam actionem, post videbimus. Sed minime opus est, ut propter novem annorum numerum, qui efficitur computatis duobus annis Aphobi et septem Therippidis, ipsam tutelam non fuisse decem annorum putemus. Quid enim impedit, quo minus post duos annos administratio, absente Aphobo, per Milyam libertum gesta fuerit unum annum (conf. p. 819. 18), ac tum demum, ut oportebat, ad Therippidem transierit. Qua opportunitate eam dimiserit Aphobus, com-

mode explicari potest ex trierarchia, qua duobus annis postquam tutelam suscepisset functus est in Corcyram, ut modo demonstravi fieri debuisse, si patrem Demosthenem Ol. C. 3 mortuum esse concedimus. Sed hoc quoque, ut decem anni constent, cogitari potest, post Therippidis septem annos unum annum ἀργῆσαι τὸ ἐργαστήριον· certe octo annorum usurae, quae petebantur, necessario demonstrant finita tutela decem annos praeteriisse.

Facilius etiam superari potest aliud argumentum a Boehneckio excogitatum ut obtineret tutelam novem annorum. Nempe in rationibus expensarum tutores in tabulas redegerant duodeviginti minas in εἰσφορὰς erogatas. Quo ita utitur vir doctissimus, ut dicat quotannis duas minas videri solutas esse eo nomine, itaque rursus effici novem annos. (Contr. Aphob. I. p. 825. 8.) Vellem meminisset alius loci (p. 815. fin), quem tamen non neglexerat Boeckhius Oecon. Civ. Athen. II. p. 53, unde constat Demosthenis τίμημα fuisse trium talentorum, itaque εἰσφορὰν esse debuisse novem minarum, non duarum. Neque respondere poterit Boehneckius tutores fortasse de industria minoris aestimasse pupilli censum, quo expeditiores postea rationes haberent; nam eodem loco, aliquanto superius (p. 815. 10), ipsis tes-

tibus demonstrat orator tantum sibi fuisse patrimonium, εἰς γὰρ τὴν συμμορίαν ὑπὲρ ἐμοῦ συνετάξαντο κατὰ τὰς πέντε καὶ εἴκοσι μνᾶς πεντακοσίας δραχμὰς εἰσφέρειν. Conf. Contr. Aphob. II. p. 837. init. et p. 838: 26. tum locus Adv. Aphob. ψευδομ. p. 862. 11. ex illo supplendus est. Commode accidit, quod, si pater Demosthenis mortuus est Ol. C. 3, eo ipso anno, Nausinico arch., celebrata illa συμμοριῶν σύνταξις constituta fuit: et, si per decem sequentes annos bis εἰσφοραὶ collatae sunt, primum ad Chabriae classem comparandam, qua victoria apud Naxum reportata est (Ol. CI. 1), tum ad Iphicratis in Corcyram expeditionem (Ol. CI. 4), habebimus summam duodeviginti minarum, quae in has εἰσφορὰς Demosthenis nomine solutae sint, (ut quidem in rationibus tutelae professi erant: conf. p. 828. 6). Neque enim necesse est ut, quod Xenophon dicit, Hellen. VI, 2, 1, Athenienses tum (Ol. CI. 3) ἀποκναιομένους χρημάτων εἰσφοραῖς legatos de pace Lacedaemonem misisse, interpretemur de annuis contributionibus.

Quum autem perpetuo in hac causa tutelae apud Demosthenem decem annorum mentio fiat, explicat hoc Boehneckius ex oratoria hyperbole. De quo toto genere sic sentio, ut et aliis in rebus, veluti in pecuniarum aestimatione, et aliis

in causis, veluti adversus Aeschinem, tempora nonnumquam vel negligenter, vel falso computaverit Demosthenes; in praesenti autem causa nullum locum neque causam fuisse istiusmodi vel fraudi, vel negligentiae, neque totum hoc ullo modo coniunctum esse cum oratoris vitio aut voluntate. Et tamen necessario decem illos annos computandos fuisse, sic defendit vir doctissimus (p. 76), ut dicat, inde ab anno quo pater Demosthenis mortuus esset usque ad annum eum quo haec actio institueretur, vere ipsos decem annos effluxisse, itaque usuras quoque exigendas fuisse hac actione eius intervalli, quod fuisset inter finitam tutelam et actionem institutam. Diceret aliquid, si omnes loci, in quibus decem annorum mentio fit, cum usurarum computatione coniuncti essent. Sed primum p. 815, quum dicitur *δέκα ἔτη ἡμᾶς ἐπιτροπεύσαντες,* nihil habet hoc cum usuris commune: tum ex iis, quae indicat Boehneckius (p. 76. not. 4), locus qui est p. 821. 6, pertinet ad rationes tutelae (*ἀποφαίνουσιν*), quas profecto reddiderunt tutores statim post finitam tutelam, non biennio post: idque apparet etiam ex iis quae paulo post dicuntur, (*τοὺς ἀνθρώπους — οὐδαμοῦ μοι παραδεδώκασι*): rursus, p. 833. 15 nihil aliud nisi tempus ipsius tutelae significatur, propter antecedentia (*εἰ πλείω χρόνον*

ἐπετροπεύθην.) Haec igitur, nisi fallor, manifesto indicio sunt, reliquis quoque locis decem annos non computari usque ad tempus institutae actionis, sed ipsum tutelae spatium intelligendum esse. Perperam igitur laudat vir doctissimus Reiskium (p. 76. not. 4.), qui p. 819. 3. δέκα in δώδεκα mutavisset, quo numero usurarum computatio evertitur: nam, si doti octoginta minarum, de qua ibi sermo est, adduntur usurae ἐπὶ δραχμῇ (quae cum Romanorum centesimis conveniunt), itaque annuae usurae sunt 960 drachmarum; decem annorum erunt 9600 drachmae, i. e. nonaginta sex minae, quae additae octoginta illis efficiunt centum septuaginta sex minas, igitur, quod orator dicit, μάλιστα τρία τάλαντα, quibus scilicet quatuor tantum minae desint.

Nimirum tota Demosthenis actio spectabat rationes tutorum, in quas invehitur, quasque multum diversas esse oportuisse demonstrat. Hinc v. c. p. 824. init., de ebore a patre relicto in officinis, *οὔτε αὐτὸν οὔτε τὸ ἔργον μοι ἀποφαίνουσι.* Dilucidius etiam hoc apparet ex iis, quae eodem loco commemorantur. Quid, quod alimenta (τροφὴν) se pupillo tribuisse septenas minas quotannis, idque per decem annos, in rationes retulerat Therippides: conf. p. 824. 25. Neque enim has expensas post finitam tutelam continua-

tas fuisse a tutoribus quisquam sanus contendet. Nam οἱ λόγοι τῆς ἐπιτροπῆς, et ea quae ex illa administratione supererant, reddita sunt Demostheni δοκιμασθέντι (p. 825. 3) i. e. simulac ad suam tutelam pervenisset: id quod confirmatur his verbis p. 833. 15. δέκα ἐτῶν διαγενομένων παρὰ μὲν τῶν οὕτω μικρὰ κεκόμισμαι. Rursus, eadem hac actione repeti, quae ante apud Diaetetam peterentur, prorsus conficitur ex loco orationis Adv. Aphob. ψευδομαρτ. p. 862 init., ubi dicitur utrobique condemnatum esse Aphobum, δέκα ἔτη μετὰ τῶν συνεπιτρόπων διαχειρίσαντα· in quibus διαχειρίσαι ipsius proprium est tutelae, nec pertinet ad illud tempus, quo ἔχειν, sibi retinere, isti arguebantur. Contra, quum nusquam praesidium reperiatur alteri sententiae, numerum illum decem annorum confici adiecto spatio, quod inter δοκιμασίαν et ipsam institutam actionem intercessit, tenemus hoc, ipsam tutelam decem fuisse annorum.

Quod autem argumentum petit Boehneckius (p. 78) inde, quod in Midiana, mentione facta istius cum Thrasylocho ἀντιδόσεως, orator se ipse μειρακύλλιον et νέον κομιδῇ appellat; equidem de industria comparatas has locutiones esse existimo ad contentionem cum Midia, qui provectiori demum aetate ista onera sustinere coepisset.

Boeckhius suam sententiam hac quoque ratione confirmaverat, ut diceret, quum octo annis ante scriptam Midianam a Demosthene actio ἐξούλης contra Midiam fuisset instituta, quae secuta esset δίκην κακηγορίας, ex qua ille in contumaciam damnatus esset, et in hoc iudicio questus esset Demosthenes de iniuriis quas a Midia tulisset Ol. CIV. 1, multo aequius esse ut causae Midianae tempus Ol. CVI. 4 ponatur, quam quatuor annis post, quippe sic nimis longo intervallo illa iniuriarum actio ab eo tempore, quo illatae fuissent, removeretur. Occurrit hic Boehneckius (p. 79): et primum concedit, ex sua computatione sex annos interfuisse inter actionem tutelae, et δίκην κακηγορίας contra Midiam: sed hoc inde explicandum esse, quod illae contra tutores actiones aliquantum temporis absumserint, et oratio contra Onetorem Ol. CIV. 3 demum habita sit: tum aliquanto post (ὕστερον, Mid. p. 540. 21) primam actionem contra Midiam fuisse institutam; itaque, si, ut credibile est, post condemnationem in contumaciam Demosthenes necessario legitimum tempus exspectare debuerit, facile admitti posse δίκην ἐξούλης non ante Ol. CV. 3 fuisse institutam, et hinc consequi Midianae quoque annum esse Ol. CVII. 3. Respondeo, admitti posse, sed neque necesse esse, et multo verisimilius, si

tertio anno post primam contra Aphobum actionem, igitur Ol. CIV. 3 (Contr. Onetor. I. p. 873), Onetorem in ius vocaverit, ut hoc iudicio perfunctus statim illam *κακηγορίαν* persecutus sit, quae arctissime cum reliquis tutelae molestiis coniuncta fuisset: neque hoc negligendum, si scripta Midiana pertinet ad Ol. CVI. 4, ab hoc anno, non a *προβολῇ*, octo illos annos computandos esse.

IV. Hoc capite ostendit Boehneckius (p. 80—86) reliqua omnia veterum testimonia cum Dionysii ratione conspirare. In hac disputatione primum repudio auctoritatem et Libanii et Quinctiliani, quippe qui tum alios secuti ea tradunt, quae ipsi nullo modo exploraverunt, tum evertere non possunt, quae ex ipso Demosthene conficiuntur, ut supra ostendi. *Pueri* quoque appellationem apud Quinctilianum, quod Demostheni unius et viginti annorum adolescenti minime convenire dicit vir doctissimus ex Romani sermonis consuetudine, facile est ad refutandum. Cicero certe (Orat. II, 21, 88) Sulpicium, novem et viginti annos natum, *adolescentulum* appellat. — Sequitur traditio de Callistrato, cuius dicendi vi Demosthenes inflammatus fuerit ad eiusdem virtutis studium: atqui causam illam Oropicam incidisse in Ol. CIII. 2, quo Demosthenes, ex Dionysii computatione, quindecim annorum fuerit, itaque recte paeda-

gogo paruerit, id quod cadere non possit in adolescentem undeviginti annorum. Mihi de tota illa traditione nondum satis certo constat; necdum tamen plane expedire possum causam Oropicam, qualis fuerit, quamquam fidenter pronunciare videtur Boehneckius. Poteram igitur defungi hac observatione, complura a Vitarum scriptoribus et ab ipsis historicis, qui e rhetorica schola prodierint, confingi solere ad ornandum (conf. Cic. Brut. 11, 42. sqq.), neque quidquam, quod istuc pertineat, in ipsorum oratorum actionibus reperiri; tum, non everti posse istiusmodi recentiorum narratiuncula, quae ex ipsius Demosthenis voluminibus satis certo possunt constitui: sed non discedere hinc malo, quin unum alterumque ostendam, in quo laboret ea narratio. Verbi causa Plutarchus in Demosth. cap. 5 memorat *τὴν περὶ Ὠρώπου κρίσιν ἐν τῷ δικαστηρίῳ·* contra in Vitis X Orat. p. 844. B de Callistrato dicitur *μέλλοντος ἐν τῷ δήμῳ λέγειν·* tum ita studuisse Callistrato Demosthenem tradit, ut videatur de disciplina cogitasse, quemadmodum diserte tradit etiam Hermippus; quod in simili errore est atque illud, quod supra p. 51. sq. in Theramene et Isocrate notavi. E Libanio rursus apparet, quam incerta omnia sint de causa ipsa; qui *φασίν, οἶμαι, τὴν περὶ Ὠρώπου.* Scriptor Vit. X Orat.

hoc quoque turbat, ut Callistratum Empaedi filium appellet. Contra, ubicumque Demosthenes ipse Callistratum memorat, in oratoribus numerat iis, qui ante suam aetatem fuerint. Sed haec fortasse alio tempore exploranda sunt.

Subiicitur alia argumentatio, quae nititur Plutarchi auctoritate et Dionysii, quorum uterque definit quem annum aetatis ageret Demosthenes, quum primas actiones publicas, Androtioneam, Leptineam, Timocrateam et Aristocrateam scriberet. Videamus quae puncta sint huius argumenti. Plutarchus (Demosth. cap. 15) dicit Androtioneam, Timocrateam et Aristocrateam scriptas esse a Demosthene *οὔπω τῇ πολιτείᾳ προσεληλυθότος· videri* enim eas actiones edidisse natum viginti septem aut viginti octo annos. Apparet nulla hoc auctoritate tradi, sed ex mera computatione et coniectura. Aliquanto plenius et fidentius Dionysius (Ammae. T. VI. p. 724. R.), quum dixisset natum esse Demosthenem Ol. XCIX. 4, et Ol. CIV. 1. ingressum esse decimum septimum aetatis annum, adiicit, *δημοσίους τε λόγους ἤρξατο γράφειν ἐπὶ Καλλιστράτου ἄρχοντος* (Ol. CVI. 2) *εἰκοστὸν καὶ πέμπτον ἔχων ἔτος.* (in quo castigat Dionysium Boehneckius, merito observans vigesimum sextum fuisse annum hunc), eoque anno scriptam esse Androtioneam, itemque dic-

tam Leptineam. Callistrato arch. scriptas esse illas orationes, etiam si verum sit (nihil enim nunc definio), manet tamen alterum, sine cuius demonstratione cadit Boehneckii sententia, tunc viginti sex annos habuisse Demosthenem; quod Dionysii quidem primae definitioni egregie convenit, sed ipsum per se falsum esse potest. Hinc tota argumentatio in orbem ducitur, adeoque nihili est: si Callistrato arch. vigesimum sextum egit annum Demosthenes, natus est Demophilo arch.: si hoc arch. natus, Callistrato arch. vigesimum sextum egit annum. Sed utrumque erat demonstrandum!

Quandoquidem ex ipsis illis orationibus, neque ex illa *περὶ Συμμοριῶν*, quae sequenti anno habita est (Ol. CVI. 3), proferri quidquam potest quo ulla suspicio aetatis, quam ageret tum orator, confirmetur, necesse est ut aliunde conquiramus argumenta et signa. Attigi aliquid ex eo genere supra p. 184. sq., necdum me poenitet eius sententiae, quum dicerem *τὸ πολιτεύεσθαι* cum tricesimo aetatis anno coniunctum fuisse videri. Quod ad seriem rerum attinet, Dinarchus Contr. Demosth. p. 24. R., postquam crimen occisi Nicodemi memorasset, ita pergit de adversario: *οὐκ ἐπειδὴ τῷ δήμῳ συμβουλεύειν ἤρξατο* —: tum, aliquanto post, in eius *πολιτεύμασι*, memorat

latam legem περὶ Συμμοριῶν (p. 33.) Hinc, ut hoc obiter dicam, praesidium peti possit, quo defendatur mea suspicio (supra p. 165. sqq.), istud Aristarcheum negotium non post acceptam a Midia in Dionysiis iniuriam collocandum esse, quae Boehneckii quoque sententia est (p. 45), sed aliquo intervallo ante: nam eo anno, quum scribebat Midianam, senator iam fuerat Demosthenes. Ex alio Dinarchi loco ibid. p. 74 conficitur Leptineam (ὑπὲρ Κτησίππου) et illam ὑπὲρ Φορμίωνος, dictas esse postquam προσελήλυθεν εἰς τὸ πολιτεύεσθαι. significatur enim hoc, in primis ab eo inde tempore operam dedisse Demosthenem, ut divitias corraderet. Aeschines Ctesiph. p. 563. de Demosthene: ἐκ τριηράρχου λογογράφος ἀνεφάνη —. ἄπιςος δὲ καὶ περὶ ταῦτα δόξας εἶναι, καὶ τοὺς λόγους ἐκφέρων τοῖς ἀντιδίκοις (quae pertinent ad orationem Pro Phormione, et ad eas Contr. Stephanum), ἀνεπήδησεν ἐπὶ τὸ βῆμα. Sic rursus hic perpetuus et acerrimus Demosthenis adversarius temporibus permiscendis calumniatur; siquidem illae causae actae sunt Ol. CVII. 3 (vid. Clinton. F. H.), quatuor autem iam annis ante suaserat legem περὶ συμμοριῶν. Demosthenes ipse Pro Coron. p. 312. 25: ἐξελθόντι δ'ἐκ παίδων τἀκόλουθα τούτοις πράττειν, χορηγεῖν, τριηραρχεῖν, (nempe ex illa cum Thrasylocho ἀντιδόσει), εἰσφέ-

ρειν, μηδεμιᾶς φιλοτιμίας μήτε ἰδίας μήτε δημοσίας ἀπολείπεσθαι, ἀλλὰ καὶ τῇ πόλει καὶ τοῖς φίλοις χρήσιμον εἶναι· ἐπειδὴ δὲ πρὸς τὰ κοινὰ προσελθεῖν ἔδοξέ μοι, τοιαῦτα πολιτεύματα ἑλέσθαι, ὥςε κ. τ. λ. Aetatis successionem alio etiam modo significat Aeschines F. L. p. 273. sq. ἐν παισὶ μὲν γὰρ ὤν, ἐκλήθη — Βάταλος, ἐκ παίδων δὲ ἀπαλλαττόμενος, καὶ δεκαταλάντους δίκας ἑκάςῳ τῶν ἐπιτρόπων λαγχάνων, Ἀργὰς ἐκλήθη, ἀνὴρ δὲ γενόμενος — συκοφάντης. quibus postremis quum πολιτεύματα necessario intelligantur, iisdem fortasse tamen aliquis abuti potuisset, vel ut demonstraret duo diversa adolescentiae tempora (qualia Boehneckius tenet) indicari verbis ἐκ παίδων ἀπαλλαττ. et ἀνὴρ γενόμενος, vel ἐγγραφὴν εἰς ἄνδρας post prius demum illud tempus factam esse; absurde utrumque. Alio loco Aeschines Ctesiph. p. 440 Demosthenis facinora percurrens hunc ordinem servat, ut primum actionem in Demomelem, tum Cephisodoti iudicium, dein Midianum negotium, postremo περὶ τῶν δημοσίων ἀδικημάτων memoret: unde quis perperam tamen conficeret post Midianam demum causam ad rem publicam accessisse Demosthenem. Sed Cephisodoti iudicium recte ponitur Ol. CV. 3, in eoque tum Demosthenes κατηγόρος exstiterat, ut narrat Aeschines (conf. Demosth. Aristocr. p. 676),

postquam superiori anno τριήραρχος in eius classe navigavisset. Nam in Aristocratea rerum series ita proponitur, ut prima in Euboeam expeditio (p. 678. 13.) exceperit iudicium Cephisodoti. Quamquam in Decret. I. post Vit. X Orat. p. 850. fin. res inverso ordine videntur proponi. Iam, si secundum Dionysium Demosthenes natus est Ol. XCIX. 4, necesse est ut accusaverit Cephisodotum in publico iudicio annum agens vicesimum tertium, et anno ante trierarchus navigaverit; id quod neque ipsi Boehneckio probabile videri posse puto: simulque labefactatur id, quod tam mordicus Dionysii auctoritate teneri solet, de Ol. CVI. 2, quo anno primum coepisset Demosthenes publicas actiones scribere. Et de Androtionea quidem et Leptinea quid suspicarer, dixi supra p. 183, Aristocrateam autem vereor ne Boehneckius, alios secutus, perperam assignaverit Ol. CVII. 1: nam et propter Phaylli mentionem (p. 661. 11.) aptius anno ante illa causa acta videri poterit, quum sequente mortuus sit Phayllus, et minus etiam huic computationi repugnant exempla illa quae memorat orator p. 654. 12. et p. 656. 8., quibus Atheniensium prudentiam regendam esse censet. Sic aliquantum valerent eae rationes, quas expromit Boehneckius p. 26, ad continendam anni, quo Aristo-

crates causam dixit, computationem, nec certe proferendam usque ad Ol. CVII. 1. Quidni enim Phayllus, ut δυνάστης, laudari poterat antea etiam?

Haec, nisi singula, universa tamen infirmant quodammodo Dionysii auctoritatem. Neque ea dubitatio tollitur Ulpiani auctoritate, cuius locum e commentario ad Mid. p. 547 apponit Boehneckius p. 85. Falli enim Ulpianum, quum dicit τὰ κατὰ Στράτωνα quindecim annorum intervallo facta esse ante iniuriam in Dionysiis a Midia acceptam, ipse Boehneckius demonstrabit, qui p. 80. init. vere monuerit δίκην illam κακηγορίας institui demum potuisse post Ol. CIV. 3; quo sumto, ex Ulpiani computatione, annus iniuriae in Dionysiis reiiceretur in Ol. CVIII. 2. Sed de illo κακηγορίας, tum de ἐξούλης in Midiam iudicio, modo disputavi p. 373. In hoc quoque fallitur Ulpianus, quod τὸ λειποτάξιον et τὴν ἐφ' αἵματι γραφὴν in Midiana reiicit post ipsam in Dionysiis iniuriam, sicut demonstravi p. 164. sqq. Talem testem tutius erat negligere.

V. Postremo demonstrare conatur Boehneckius (p. 87—91.) Pseudo-Plutarchum sibi ipsum repugnare, et quis erroris fons sit. Coniungit, inquit, Vitarum scriptor Callistrati exsilium in Thraciam cum eo anno, quo ex ephebis egressus

est Demosthenes: atqui illud exsilium incidit in Ol. CIV. 4, eoque ipso si Demosthenes explevit vicesimum aetatis annum, pulcre convenit Plutarcho cum Dionysio, oratorem natum esse Ol. XCIX. 4. Non video quid tantopere triumphandum sit hoc reperto. Primum tam non cohaerent ea, quae continuo in hoc libello traduntur, ut post istam exsilii Callistrati mentionem narretur demum Demosthenem *τελειωθέντα κρῖναι τοὺς ἐπιτρόπους*. Quod autem tota illa traditio de Callistrato, quem Demosthenes ut *σοφιςεύοντα* audierit, (nam hoc uno modo istud *ἤκουσαν* explicandum est, propter sequentia) mihi perquam suspectae fidei est, nolo nunc urgere. Quot in hoc genere *ξένα καὶ παράδοξα* a non contemnendis scriptoribus defenderentur, ipsum illud est exemplum, cuius refutandi causa Dionysius Hal. Epistolam ad Ammaeum composuit. De Platone, quem audiverit Demosthenes, quid mihi videatur, dixi ante aliquot annos. Sed eius generis traditio, sive fama, qualis haec est de Callistrato, si ipsa per se nec probari nec repudiari debeat, exigenda est ad certiores temporum notationes ex ipso Demosthene colligendas. Et, si verum est, id quod Boehneckius ipse concedit, et saepe et graviter contra historiam peccari in libello Vitarum X Oratorum, parum caute certe is agere

censendus est, qui, quod nusquam nisi in hoc scriptore traditur, cupide arripit ac tuetur, nec potius ad aliorum idoneam auctoritatem exigit.

Ne hoc quidem exquisitum inventum est (p. 89), Pseudo-Plutarchum Demosthenis annum natalem definivisse computatione facta eorum annorum, qui in orationibus Contr. Aphobum et Onetorem memorantur. Qui enim potuisset aut debuisset aliter facere? Sed, quod nemo videtur quaesivisse, multumque tamen in tota hac controversia definire attinet, hoc est, quo anno aetatis Demostheni licuerit tutores tutelae nomine convenire iudicio. Nam si tenemus id, quod et Heffterus docet De Iudic. Athen. p. 75. sq., et Schoemannus Lit. Att. IV. p. 556 et 562, non ante annum decimum octavum aetatis et ἐγγραφὴν εἰς τὸ ληξιαρχ. γραμματεῖον, actionem ullam instituere potuit. Atqui neque aliam exstitisse δοκιμασίαν, quae illam praecederet, supra, ut mihi videor, satis effeci; et tutelae vinculo liberatos demum fuisse pupillos per ἐγγραφὴν εἰς τὸ ληξιαρχ. γραμματεῖον, abunde demonstrari potest, v. c. ex Aeschine Timarch. p. 43. sq. et p. 121. Tum, non finitam fuisse tutelam, nec ullam tutelae actionem a pupillis potuisse institui qui modo annum decimum quintum aetatis attigissent (sicut putat Boehneckius), apertum est inde, quod

Aristaechmus per sedecim annos tutor fuit Nausimachi et Xenopithis, qui tum demum ἄνδρες γεγόνασι· vid. Demosthenes p. 988. init. Contra, nisi ponamus hanc tutelam initium habuisse statim inde a parvulis natis, mortuo tunc ipsum patre, multo aequius est nobis concedi, ut illam δοκιμασίαν experti sint decimo octavo aetatis anno. Nec puto aliud fuisse ipsius ἥβης initium; a quo quare dissentiat Poppo Suppl. Adnot. ad Thucyd. II. 46, nihil causae esse video.

Iam quid de Conclusione statuendum sit, quam istis omnibus subiicit vir doctissimus, haud difficile est reperire. Sed miramur, ubi suarum sententiarum puncta colligit, iterum (p. 93) ad annum natalem definiendum Gellii testimonium usurpare. Sed nihil definio ipse; explorare tantum volui quae essent et quales Boehneckii rationes, quae mihi certe non persuaserunt.

Midianae tempora definire multae res est considerationis. Veluti, si, id quod Boehneckio videtur p. 166, in tertia Olynthiaca eam quoque legem de pecunia theorica abrogari suasit Demosthenes, et omnino severius militiae officium universis imponi, difficile est accipere Demosthenem

(ut ex Midiana apparet) choragum Dionysiorum causa ab exercitu abfuisse, quum paulo ante tam acerbe istam licentiam castigasset: eaque causa esse poterit, ob quam, contra quam Boehneckius putabat, Midiana ante Olynthiacas scripta esse censeatur. Rursus, si defendit hoc vir doctissimus (p. 184. not. 3), ab Ol. CVII. 3. demum publicas res attigisse, et tunc desiisse privatas actiones scribere, necessario Oratio Adv. Boeotum de Nomine ante illum annum scripta est, in qua tamen mentio fit istius belli Euboici ad Tamynas. Similiaque multa dubitari possunt, quae ut expediat aliquando praeclaro acumine et omni doctrina praeditus Boehneckius, vehementer opto.

Nos in hac impeditissima quaestione hunc servabamus morem, magis ut quid non probandum sit argueremus, quam ut quid ipsi statueremus explicaremus. Neque enim idem affirmare ausim, quod in simili controversia pronunciavit Boehneckius (p. 585) »nos hoc tam certe scire »posse, quam diem, quo ipsi nati simus aut me»morabile aliquid nostra aetate contigerit:" neque hoc mihi sumo, quod ille, ut nemini cedere me arbitrer diligentia et assiduitate. Dubitationes meas si dignas ipse Boehneckius habuerit quas ponderet, praeclare mecum actum esse existimabo.

EPILOGUS.

Destinaveram alia addere, sicut in clausula praecedentis Voluminis promiseram. Horum quae Lysiam spectant, partim nunc quidem exsoluta sunt: Ciceronis de Oratore tertium librum quo minus nunc tractarem, fecit splendidissima editio quam Ellendtio debemus; in qua quoniam mei quoque honorifica ratio habita est, iudicavi accuratius mihi edisserendam esse Viri Clarissimi dissensionem de nonnullis locis, itaque totum hoc reservandum peculiari scriptioni, in qua exponerem etiam de subsidiis quibusdam, quae primo mihi usurpare licuit. Quod autem tum addidi de Analectorum Capite, ab ea cura et cogitatione repente his diebus me deiecit domestica clades,

cuius acerbitate ita me conturbatum esse sentio, ut frustra laboraturus sim in meis aut in alienis peccatis explorandis, atque vix in desidiosa literularum mearum agitatione solatium quaesiturus. Sed iterum dico, me non tam stulte superbum esse, ut, quae umquam excogitaverim atque ediderim, eadem perpetuo defendenda esse existimem.

L. B. d. 20 Maii 1844.